Doppio ~~[illegible]~~
in dietro all'
Errata corrige

DE RECTA DIPHTHONGORUM PRONUNCIATIONE CANONES

EX AUTOGRAPHO

R. P. IO: BAPTISTÆ RICCIOLII

E' SOCIETATE IESU

FIDELITER EXSCRIPTI.


DERECTA
DIPHTHONGI
PRONVNCIA-
TIONE
CANO-
NES

De recta Diphthongorum pronunciatione

CANONES

EX AVTOGRAPHO

R. P. IO: BAPTISTÆ RICCIOLII

E' SOCIETATE IESV

FIDELITER EXSCRIPTI,

E T

A' R. D. PETRO MARVERTIO

SOLERIENSI

CORRIGII GRAMMATICES DOCTORE

Ad suorum discipulorum commoda, suarumque Præceptionum

Necnon Italicarum Thesium, quæ hic accuduntur, de pronũciandis diphthongis editarum, cõprobationem

LVCI PVBLICÆ DATI.

Accessit ad horum calcem

APOLOGETICA RESPONSIO

Contrà eruditos, at acerbiores, aliquot earumdem Præceptionum

CENSORES, AC IMPVGNATORES.

Mutinæ, Typis Andreæ Cassiani. 1667. *Super. Permissu.*

Clarissimis, Sapientissimisque

ACADEMIIS

Quarum alteri TORPENTIVM, TEPIDORVM alteri hæret appellatio,

PENES RR. PP. SOCIETATIS IESV

In nobili Palęstrà Rhetoricę rei Studiosorum

Labente hoc anno M DCLXVII. Mutinæ institutis, ac erectis

Petrus Maruertius Soleriensis Felicitatem.

ET ponium Iuno ipsa non dedignaretur, si Paris offerret. Leue munus est, quod vestræ Palladis erudito Tripodi (Clarissimę, Sapientissimæque Academicorum Acies, in Ignauię cędem, iacturasque auspicatò fœderatę) consecraturus accedo: vulgaris est pretij, vixque locum sperans inter eos Eloquentiæ thesauros, queis vbertim redundatis.

Sed humanitas veſtra, obſequentis animi amplitudine delectata, licet abiecti Anathematis, vti ſpe nitor, qualecũque pondus amplexabitur. Syllaba duplex, nimirum hęc vocula FIAT, Orbis Vniuerſi cõſtituit ædificia: intrà lubricos arenæ carceres maris ingenium contumax illigauit: Cœlorum triumphales Arcus auro fecit aſperos: Terram flore conueſtiuit, & frutice: demùm quidquid oculis blanditur, & menti, induſtri ſono, feliciter elaborauit. Aſt ſyllabæ fuerunt illę, tot rerum molitrices, Diuini Verbi: quę cum manus immenſitate coniunctę, potuere, quidquid imperarunt. Syllabam & ego vnam, geminata ex vocali conflatam, veſtrę Cortinę, Mineruęque dico: ſyllabam tamen, quæ à veritate dum procuditur, vtique manat à Deo: ſique integram Mundi molem non

confi-

conficit, Remp. ſanè Grammatices dum à labe reparat, in priſtina ornaméta opus ingens, ac inſigne reſtituit. Et Myrmecides, atomorum ſculptor, Apiculas effingendo, Staſicrati, Gigantum artifici, par commendatur. In paruo non tenuis labor eſt: & maximi momenti iudicamus, minima non inconcinnè moliri. Meas igitur de Diphthongorum rectà pronunciatione ſynceras lucubrationes inter floridos veſtræ facundiæ partus admittite. Apis erit inter Olores. Et in Cœlo cum Apiculà fulgurat Cycnus. Valete.

LECTORI BENEVOLO
S. D. P. M.

*O Quantum est subitis Casibus ingenium! * Fortuitò sæpe parit & Natura, quod sæcula multa parturiunt. Quoties ipsa Occasio fit magistra Sapientiæ, & obstetrix Veritatis! Casus mouit eam litem, mi benigne Lector de genuinà, religiosàque Diphthongorum pronunciatione, quæ eò progreßa est, dum enixè ventilatur, vt libellus iste, ipsà auspice, tenebras eluctatus emerserit in lucem; vtique non inutilis, dum R. P. Io: Baptistæ Ricciolij Canones eruditos amplectitur, sui circuli gemmam. Tuis illum manibus apta, si placet: si displicet, in meas abijce. Plebeius, & vilis est annulus! Ferreus erat Triumphanti. Vale.*

* Martialis in Amph. ep. 14.

Pala-

Palamede Prencipe d' Eubea al volar delle Grù inuenta la lettera Y.

Filostrato negli Eroici.

O D A

AL SIG. D. PIETRO MARVERTI.

GIà da l'erta del Ciel Febo gigante
Piouea lampi ad indorar le selue;
E solecite belue
Anelando al viror d'apriche piante
Vscian gridando da le patrie grotte:
Sorge a la fine il Sol dopo la notte.

Quinci nel verde sen di Fauno ombroso
Sciogliea Progne a' suoi lamenti i canti
Ver gli Satiri amanti,
E col pianto giuliuo e suon doglioso,
Meschiand' aura gentil soffio veloce
Parea dar fiato a l'erudita voce.

Quando carco il pensier di dotte risse
Col piè romito in su l'erbosa scena
Filosofica vena
Suegliando Palamede: O terra, disse,
Per

Per te la Reggia è vil, sembri vna cella
Quanto rustica piu, tanto piu bella.
Ma da Giuno loquace astratto il ciglio
Rapido alzò e per l'aereo velo
Vide scorrer' in Cielo
Turme, che vn Y segnar co'l vago artiglio.
E se le penne già tardar studiando,
Questa lettera sol scrisser volando.
Se ben pera ne' boschi augel rapace:
Sol di Febo, Maruerti, a i bei giardini
Fia, che sua mente inchini,
Per cogliere co i fiori alloro e pace.
Ne lettere ne l'aria ei vuol scoprire:
Che chi in aria si fonda, ei và a perire.
Quegli nel crocitar di gole erranti
Di vna sola arricchì note primiere.
Doue sillabe intiere
Questi saluando vnite, ha palme e vanti.
Aquila nel suo Ciel dunque lo vuole
Palla, per ber della Sapienza il Sole.

M. F. C. A. S.

Leui

Leui ligonis ictu magnas opes Terræ Magnesius:

Vnius syllabæ paruitate thesauros ingentes Sapientiæ Maruertius enudat.

EPIGRAMMA.

Quà tumet Hesperijs tellus cperosa metallis,
Et nitet hirsuto condita Erythra iugo;

Sæuit in agrestres raptim Magnesius ictus,
Dum ligo sopitas tusus oberrat opes.

Hæret, & audaci peruadens viscera ferro
Ferre docet, solis, munera cæca, iubar.

Quidquid Hydaspæis eructat arena Theatris
Exit, & arrecto Persica gaza pedi.

Vnica sic raras promit tibi syllaba dotes,
Dum, Petre, Apollineum flumen ab ore vomis.

Ergo quid effuso tibi prodiget vbere Pallas,
Littera si ingènio tot parit vna tuo?

P. B. A. T.

DVM

DVM IN VNAM SYLLABAM

Geminas Diphthongi vocales nodat Maruertius, suum nomen cum Aeternitate coniungit.

ELOGIVM.

Vno à Deo
Vnitatem concepit, peperitque Natura:
Quam vbi pluralitate pollutam
exhorruit,
A' semetipsa relegauit ad Cerberos.
Fabulas ipsas subsannandas haud tradidit,
Ne vnitatem deperderet in
Geryone.
Si multiplici à sole lumen Orbis ebiberet,
Et raritatis pretio lux orbaretur;
Fulgorisque sub imperio Terra
Obdormisceret.
Age
Plures in vno flores ementire:
Palladis illicò vireta,
Labyrintho vallata,
In Minotaurum excrescent.
Cui non deperiret Natura,

Nisi

Nisi specierum dissidio dissolueretur!
Profecto
Vni corpori qui varia indidit capita,
Animal incremento non ditauit;
Hydram vero composuit.
Litteris solam nouimus præesse Mineruam:
Licetque inuicem discrepantia insudent ingenia,
Vni tamen scientiarum thesauro feliciter adlaborant.
Vnitatis alumnus, & Propugnator
Penitiori Sapientia Palladis enutritur
M A R V E R T I V S:
Aque vbi, Patronus vnitatis,
Vnitatem Diphthongis indixit,
Sublimi cæteros inter ingenio
Se micare comprobauit.
Noluit in vnà syllaba diuisionem;
Ne plures formas in vno fabulosè comminiscens,
Gramaticorum verba degenerare faceret in Chimæras.
Ità
verè soluit nodum Gordium,
non diuidendo, sed nectendo.

C. B. C. A. T.

Le

Le lingue disunite nella Torre di Babele commendano il Maruerti; che in due suoni diuersi non discioglie il Dittongo.

SONETTO.

SVdate, o Stelle, a stritolar Giganti;
Facciano i dardi al Sol nube di foco.
Di sinistro Orione orrido gioco
Fian di Trinacria incude i bronzi erranti!
Soura ardita Babel sorgono i vanti
Di proteruo mortal già in ogni loco:
Alza guerra a le Sfere, e a poco a poco
Sfida al pondo de i Poli Ercoli, e Atlanti.
Ma a che aguzzare acciai e armare argenti
Contra sassi rubelli? andran sotterra
Col disgiugnere sol lingue a le genti.
Cessi dunque a' Licei, cessi ogni guerra:
Chi pensa disunir sillabe e accenti,
Fa che il Trono di Palla abissi a terra.

C. R. F. A. S.

RES-

RESPONSIO

R. P. IO: BAPTISTÆ RICCIOLII

SOCIETATIS IESV

Super pronunciatione Diphthongorum in particulis AVT, HAVD, CEV, & SEV

Scripta ad Amicum, Mutinæ degentem.



RESPONSIO

R. P. IO: BAPTISTÆ RICCIOLII

SOCIETATIS IESV

Super pronunciatione Diphthongorum in particulis AVT, HAVD, CEV, & SEV

Scripta ad Amicum, Mutinæ degentem.

EXorta eſt Corrigij hoc anno MDCLXVII. controuerſia ſuper modo legitimè pronunciandi diphthongos in particulis hiſce *Aut*, *Haud*, *Ceu*, & *Seu* inter Reu. D. Petrum Maruertium, & Excell. D.D. Theſeum. Quorum prior edidit Mutinæ ſuæ opinionis defenſionem, Italicè ſic inſcriptam: *Apologetica Determinazione de' Dittongi, nelle particelle Aut, Haud, Ceu, & Seu di Pietro Maruerti.* Poſterior autem typis Regij mandauit ſcriptum ſuum, ſic inſcriptum: *In Apologeticam Determinationem Diphthongorum Au, & Eu Reu. D. Petri Maruertij Solerienſis, Antagoniſtarum Corrigienſium ANIMADVERSIONES; ab Anonymo Philo-grammatico Corrigienſi, ſtudioſa, & obſequenti voluntate ad eundem conſarcinatæ.* Lite

autem adhuc pendente consultus & ego, qui prius per epistolas, deinde coram: quando vterque Bononiam se contulit, vbi & modum pronunciandi dictas Diphthongos, earumque rationes non semel audiui. Rogatus itaque partim ab illis, partim ab alijs Amicis, scripto Responsionem meam hanc ipsis concessi: Duabus Conclusionibus, earumque probationibus comprehensam.

I. CONCLVSIO.

DIphthongus in particulis *Aut*, *Haud*, *Ceu*, *Seu* ità pronuncianda est, vt Vocalis vtriusque, naturam suam retinentis, sonus ex parte audiatur, & in vnam syllabam longam, seu duobus temporibus æquiualentem, coalescat.

II. CONCLVSIO.

LIcet in Diphthongis Æ, & OE primùm ex abusu, deinde vi consuetudinis dissimuletur in pronunciando prior Vocalis, nec

nec ferè audiatur, nisi sonus solius Vocalis E: hinc tamen non sequitur, aut penitus dissimulandam alteram vocalium in pronunciandis Diphthongis Au, & Eu; aut si rigorosè, & ad normam antiquæ pronunciationis proferendæ essent Diphthongi Æ, & OE, non fore melius pronunciari ex parte vtramque vocalium.

I. Probatio harum Conclusionum petenda est à natura, & proprietatibus Diphthongi, propriè sumptæ: quę requirit sex conditiones.

Prima est, vt componatur ex Vocalibus, non autem ex vna Vocali, & altera Consonante, seu ad modum Consonantis prolatæ. Quare cum littera V aliquando proferatur per modum Consonantis, vt in nominibus *Vita*, *Auarus*, *Saliua*, si hoc modo proferatur in particulis *Aut*, *&* *Haud*, *Ceu*, & *Seu*, iam non esset Diphthongus, nec Syllaba esset longa vi Diphthongi, sed positione, aut alia regula. Neque dicas, impossibile esse, vt in Latinis dictionibus pronuncietur V, tanquam Consonans, nisi ei subsequatur immedia-

tè altera Vocalis, cui consonet; ideoque periculum nullum esse, ne in *Aut*, *Haud*, *Ceu*, *Seu* littera V proferatur, tanquam Consonans. Esto enim nullum vocabulum Latinum nobis suppetat, in quo V, si proferenda sit, vt Consonans, non præcedat immediatè alicui Vocali; posset tamen aliquis suo arbitratu litteram V efficere Consonantem, etiamsi alia Consonans immediatè sequeretur: si nimirum non sola voce gutturis, sed labio inferiore, cum superioribus dentibus compresso, extunderetur; scitum enim & experimento probatum est illud Aristotelis lib.4. Histor. Animalium cap. 9. *Vocales litteræ à voce, & à gutture; Consonantts autem lingua, & labris proferuntur*, subintellige & *dentibus*. Periret autem eò magis Diphthongus, si littera V in aliam Consonantem, diuerso charactere scribendam, transformaretur: & prò *Aut*, *Haud*, *Ceu*, *Seu*, proferretur *Aft*, *Hafd*, *Cef*, *Sef*; vt nescio quis Hæreticus, Auctor Grammaticę Græcolatinę, editæ Basileę anno 1566. ausus est præcipere, vt Diphthongi Græcę

Au,

Au, & Eu vertantur Latinè in Af, & Ef, & nomina hæc Ἐυαγγέλιον, & Ἐύανδρος conuertantur Latinè in *Efangelium*, *Efander*. Sed hanc Teutonicam, non Latinam, pronunciationem ſugillauit iampridem Deſpauterius lib. 2. Verſificatoriæ, Regula. 3. Hactenus verò dictis non obſtat, quod iuxtà eruditos Grammaticos longa eſſe dicatur vi Diphthongi prima in *Euangelium*, *Euander*, *Euohe*; & ſecunda in *Agaue*, & tertia in *Paraſceue*, quamuis à Latinis proferatur in illis V ad modum Conſonantis: Reſpondeo enim, produci eas ſyllabas vi Diphthongi originaliter, & radicaliter ſumptæ, non tamen formaliter; quià hoc ipſo, quod V euadit in his, & ſimilibus Conſonans, non eſt idonea ad formandam Diphthongum. Vltima verò in *Orpheus*, *Briareus*, *Achilleus*, *Proteus*, *&c.* eſt longa ex Diphthongo; ſed ab eruditis ypſilon Græca pronunciatur, vt Vocalis Latina V, & cum E facit veram Diphthongum.

II. Secunda conditio eſt, vt duæ Vocales, Diphthongum ingredientes, remaneant

duæ vocales, non autem in vnicam eiusdem, vel diuersę speciei, vocalem arctentur; nam, si duæ in vnicam non diuersæ speciei vocalem arctentur, fiet non Diphthongus, sed Synæresis; vt in *Peculi*, *Phethon*, *Orphi*: pro *Peculÿ*, *Phaëthon*, *Orphei*. Ast si vertantur in vnicam diuersę speciei vocalem, longa euadet illa syllaba, non Diphthongo, sed crasi; vt in *Cotes*, *Cori*, *Cludo*, *Clodius*, *Codex*, *Lotus*, *Plodo*: prò *Cautes*, *Cauri*, *Claudo*, *Claudius*, *Caudex*, *Lautus*, *Plaudo*.

III. Tertia conditio est, vt duæ Vocales sint diuersæ speciei, vt constat ex omnibus Diphthongorum speciebus, apud Grammaticos enumerari solitis: nusquam enim assignant vllam Diphthongum, ne impropriam quidem, quæ ex duabus eiusdem speciei vocalibus coalescat. Neque enim si fiant monosyllaba hæc: *deest*, *Dÿ*: & dissyllaba hæc: *prehensus*, *vehemens*: idcircò fit Diphthongus. Sunt autem apud Græcos Diphthongi propriæ sex: αι, αυ, ει, ευ, οι, ου: & sex impropriæ: ᾳ, ῃ, ῳ, ηυ, ωυ, υι. Apud Latinos autem Diphthon-

phthonghi ordinariæ ſunt quatuor: AV, EV, OE: vt in *Aura*, *Europa*, *Aes*, *Pœna*; extraordinariæ autem alię ſex: EI, OI, OV, VE, VI, YI: vt in *Hei*, *Queis*, (pro quibus) *hoi*, ex priſco *quoius*, prò *cuius*; *Prout*, *Suetus*, *Suetonius*; & in monoſyllabis *Cui*, *huic*; & denique in *Harpyia*, *Ilithyia*, de quibus dixi in Proſodia Reformata parte 2. Regula 4. Appendice 2. De Diphthongo in plurali numero, *Amicei*, *Magnei*, eſt videndus ex Nigidio Gellius lib. 13. Cap. 23. & Quintilianus lib. 1. & 7. eodemque modo accuſatiuos tertię declinationis per hanc Diphthongum ſcribebant nonnulli, vt in *Omneis*, *Trocis*, *Vrbeis*, *Nocteis*: ſed huiuſmodi nomina, in nominandi Caſu plurali terminanda in *ES*, & in accuſatiuo plurali in *IS*, iuxtà veteres, docuere Diomedes lib. 1. Probus Valerius apud Gellium lib. 13. Cap. 19. Donatus in libello de octo partibus: Priſcianus lib. 7. cum tamen Varro 1. de Analogia in Caſu accuſandi ęquè ſcripſerit, *Hos montes*, *Has vrbes*; atque *Hos montis*, *Has vrbis*. Sed hęc iam obſoleuere. Notandum

verò,

verò, si I, & V præcedant alias vocales, etiam si coeant in vnam syllabam, non efficere Diphthongum; vt in *Iudex*, *Iaculor*, *Iecur*, *Iuro*, *Qualis*, *Querimonia*, *Quid*, *Quod*, *Lingua*, *Liquor*, *&c.*

IV. Quarta conditio est, vt duæ vocales vnicam syllabam longam forment per se, & non beneficio tantum figurę Synæresis, sinè qua non vnicam, sed duas syllabas efficerent. Quapropter, licet aliquando apud Poetas reperiantur beneficio Synęresis facta dissyllaba *Deinde*, *Proinde*, *Eosdem*, *Deorsum*, *Seorsum*, *Suauis*, *Suetus*, *&c.* producta priore syllaba; non euadit tamen ea longa vi Diphthongi, propriè dictæ.

V. Quinta conditio est, vt duę aliæ, diuersę speciei, Vocales vnam per se syllabam longam formantes, & ambæ ità pronuncientur, vt sonus vtriusque ex parte audiatur; seu sonus earum non simplex sit, sed mistus partialiter, aut participans de vtroque: Esto deinde vnius vocalium sonus præualeat, ac tantillò magis audiatur, quàm alterius. Nulla enim solida ratio adduci potest, ob quam scribi debeat

vtra-

vtraque talium vocalium, & non vtraque ex parte pronunciari. Quod enim Diphthongi *AE*, & *OE* à multis iam sæculis ità plerumque pronuncientur, vt solius vocalis E sonus audiatur, dissimulato penitus sono vocalium A, vel O; & quamuis scribatur *AEs*, *AEolus*, *Pœna*, *Diœcesis &c.* pronuncietur tamen *Es*, *Eolus*, *Pena*, *Diecesis*; id ortum est ex abusu, quando lingua Latina cępit cum sua pronunciatione degenerare in barbariem, aut imperfectiorem idiotisinum. Et esto abusus ille paulatim inualuerit, & consuetudinis tolerandę vim sit adeptus, hoc ipso tamen, quòd alterius Vocalis pronunciationem extinxit, naturam quoque diphthongi in pronunciando extinxit. Et hoc est, quod Grammatici fatentur, videlicet: Diphthongos *AE*, & *OE* scribi quidem, sed non pronunciari, licet agnoscant à Latinis olim & scribi, & pronunciari consueuisse; & nemo dixerit in pronunciatione retineri Diphthongum, etiam si vnius tantùm sonus percipiatur, altero prorsus neglecto. Nos autem loquimur de diphthongo, non

solùm

solùm ſcriptili, ſed pronunciabili, & de requiſitis ad gignendam, conſeruandamque Diphthongum, quatenus Diphthongus eſt. Eſt autem nomen hoc Græcum, compoſitum ex δὶς, quod ſignificat *Bis*, & φθόγγος quod ſignificat *ſonum*: quaſi dicas *Diſſonus*: alioquin, ſi vnicus ſimplex ſonus ederetur, non Diphthongus, ſed Monophthongus euaderet.

VI. Sexta demum conditio eſt, vt licet duę, diuerſæ ſpeciei, Vocales, Diphthongum formantes, poſſint ſeorſim ſcribi diſtincto penitus charactere, non ità tamen pronuncientur ſeorſim, vt ſonus vtriuſque completus, ac perfectè diſtinctus audiatur; ſed vel vtriuſque, vel ſaltem alterius Vocalis ſonus ità retundi, & quaſi frangi debet, & cum alterius ſono conglutinari, vt vnicam ſyllabam ſonet. De communi enim ſenſu Grammaticorum Diphthongus ſyllaba eſt vna, longa quidem, ac duorum temporum, ſed tamen vna, non duę ſyllabæ. Hinc fit, vt duæ diuerſæ ſpeciei Vocales, hoc ipſo, quòd duas ſyllabas formant, Diphthongum non efficiant, ſiuè bre-

breues ſint, vt in *Emaus*, *Oenomaus*, *Danaus*, *Arboreus*, *Neſtoreus*, *Extraneus*; ſiuè altera earum longa, vt eſt penultima in *Amphiaraus*, *Proteſilaus*, *Spondeus*, *Peneus*. Perit etiam Diphthongus, quotieſcunque Poetica Analyſi reſoluitur in duas ſyllabas: vt fecit Catullus in *Clauſo*, & *Gaudet* in illis Phaleucijs.

Si linguam clauſo tenes in ore;
Verboſa gaudet Venus loquela.

in quibus triſyllaba fecit vocabula *Clauſo*, & *Gaudet*. Similiter *Pleias* diſſyllabum eſt, & prior ſyllaba longa vi Diphthongi, vt in illo 4. Georgicorum.

Pleias & Oceani ſpretas pede reppulit vndas.

At Ouidius reſoluta Diphthongo lib. 1. de Ponto cecinit.

Quatuor autumnos Pleias orta facit.

VII. Operæ iam pretium fuerit producere in medium auctoritates quorundam inſignium Gramaticorum de natura, & vſu Diphthongorum; licet aliqui diminutè locuti ſint, aliqui non ſinè grano ſalis intelligendi. Martianus Capella lib. 3. de Arte Philolog. *Capella.*

Cap. 11.

Cap. 11. iniquit: *Diphthongi sunt AE, OE, AV, Eu, & Ei. Absque his syllabis nulla Diphthongus memoratur.* Isidorus lib. 1. Originum Cap. 15. *Diphthongi, syllabæ Græco nomine dictæ, quod in eis binæ vocales iungantur. Ex his apud nos veras esse scimus quatuor AE, OE, Au, Eu: Ei* verò apud Maiores tantummodo celebrata fuit. Melius his Terentianus Maurus in suis illis Trochaicis.

Isidor⁹

Terentianus.

Porrò vocalem secuta vim tenet vocalium,
Et sonos vtrosque iungit: vnde Diphthongos eas
Grecia dicunt magistri; quòd duæ iunctæ simul
Syllabam sonent in vnam, viq: gemina prædita
Semper effectum duorum temporum custodiant.

Ioannes Despauterius lib. 2. Versificatoriç, Regula 3. quæ est de Diphthongo, sic: *Diphthongus est duarũ vocalium, vim suam retinentium, in eadem Syllaba complexio.* Et paulo post: *Diphthongus dicitur*

Despauterius.

citur duarum vocalium ſonus, à δις, *Bis, &* φθόγγοσ *ſonus:* & mox; *Au, & Eu, vti ſcribuntur, ità proferuntur: Sic AE, & OE in quibus tamen E magis auditur; A, & O obſcurius; ſed ignauia, & ignorantia hominum fecit, vt vix quiſquam rectè ſciat Diphthongos pronunciare.*

Aelius Antonius Nebriſſenſis Opuſculo de Orthographia, Cap. de Diphthongo, ſimiliter definit: *Diphthongus eſt duarum vocalium, vim ſuam in eadem Syllaba ſeruantium, complexio.* Mox Latinas Diphthongos enumerat Au, AE, OE, Eu, Ei, YI, exemplificans in *Audio, Muſæ, Fænum, Penteus, Orphei* diſſyllabis, & in *Harpyia*. Nicolaus Perottus in Cornucopia ad 40. Epigramma Martialis: Eſt, inquit, *Diphthongus duarum vocalium in vna ſyllaba comprehenſio, vnum efficiens ſonum*, hoc eſt, non duos perfectè diſtinctos; ſed vnicum mixtum ex duobus ſonum: quià, vt docet Laurentius Valla lib.

Nebriſſenſis.

Perottus.

Valla.

31.

31. *Ambæ vocales in Diphthongo habent vocem retuſam.* Et quia Diphthongus, cogendo in vnam Syllabam longam duarum vocalium ſonum, ſuſtentat dictionem; ideò Guarinus dixit; *Diphthongus fortius, vegetiuſque proferri debet.* Nimis breuiter Budęus: *Diphthongus eſt duarum vocalium ſonus.* Ambroſius Calepinus: *Diphthongus eſt conglutinatio duarum vocalium, in eadem Syllaba vim ſuam ſeruantium; ità dicta, quod duarum in ea vocalium ſonus audiatur.* Nec aliter Auctor Theſauri Linguæ Latinæ: *Diphthongus, conglutinatio duarum vocalium, in eadem Syllaba vim ſuam retinentium.* Sed qui Calepinum adiectione vndecim Linguarũ locupletarunt in editione Lugdunenſi addidere de ſuo hanc expoſitionem; *Sunt autem apud Latinos quatuor AE, OE, Au, & Eu, in quibus omnibus vtraque vocalis, vt ſcribi debet, ità & proferri*: ſed certè non ità, vt ſonent duas ſyllabas.

Guarinus. *Budeus* *Calepini Theſaurus.*

Simon Verrepæus in Epitome Grammaticæ

Deſpau-

Despauterianæ lib. 5. cap. 6. *Diphthongus est duarum vocalium coniunctus sonus: dum enim vna alteram quasi frangit, neutrius sonus manet integer.* Verrepæus.

Io. Franciscus Quintianus Stoa Epographiæ cap. 5. ait: *Diphthongus*, si Probo credimus, *est, quando duæ vocales sunt simul iunctæ*; & c. 6. *AE scribi*, & *non proferri proletarij sciũt*; & c. 7. *OE scribendam, & non proferendam omnes edocent*: quod nimis audacter dictum videri possit; neque enim reprehendendus absolutè esset, si quis in pronunciando Æolum, aut Pœnos, modicè de A, vel O ante E delibaret. At cap. 8. ait: *Au, Eu, & Ei, teste Beda, proferimus, vt in Audio, Euge, Orphei* dissyllabo. Stoa.

Emanuel Aluarus Soc. Iesu lib. 3. Grãmaticæ maioris sub initium ait: *Ex vocalibus fiunt sex diphthongi, AE, Au, Ei, Eu, OE, Yi; vt in Præmium, Aurum, Hei, Europa, Pœna, Harpyia. In diphthongis A, O, V sem-* Emmanuel.

per sunt principes; I, & V semper subditæ; E & præit, & subit. Postea in Commentario habet: *Veteres itá diphthongos pronunciabant, vt vtraq; vocalis perciperetur, quod hodie in duabus Au, & Eu tantùm experimur. Nam in cæteris ferè vna tantùm auditur.*

Iacobus Gretserus eiusdem Societatis l. 1. Institut. Linguę Gręcę Annot. 1. loquens de Diphthongis Ai, & Au: *Illæ*, inquit, *dicuntur propriæ, quòd duplicem edant sonum:* loquens autem de Alpha, & de *Ita* cum Iota subscripto, ait: *Hę verò impropriæ, quòd simplici efferantur sono:* & Annotat. 2: *Habent Diphthongi hoc nomen à duplici sono:* & Annotat. 3: *Nonnulli eas biuocales Latinè appellant, vel quòd duplici constent vocali, vel quòd sonum edant geminum. Quare etiam bissonæ, vel bissonantes dici possunt.*

Gretserus.

Richardus Esius Societatis Iesu in Rudimentis linguæ Græcæ, ex Nicolao Clenardo, laudat Adolphi Meierkerchij libellum de ratione pronunciandi Græcas

Esius.

voca-

Vocales, Consonantes, & diphthongos, & initio Rudimentorum inquit Schol. 2: *Quemadmodum apud Latinos AE, & OE, contrà Diphthongorum naturam, nunc simplicem edunt sonum, ità & apud Græcos omnes illæ Diphthongi, quarum subiunctiua est nota &c.*

Gerardus Io. Vossius in sua Grammatica Latina pag. 4: *Comprehensio duarum vocalium in vnam syllabam vocatur Diphthongus, quasi dicas bissona a* δισ, *bis, &* φθόγγος, *sonus*: & pag. 5: *Veteres pro AE dixere Ai, & pro OE dixere Oi, vt in Aulai pro Aulæ, & Poina pro Pœna: corruptè autem hæ diphthongi hodie pronunciãtur instar vnius vocalis.* *Vossius.*

Ludouicus Cauallus Ordinis Minimorum in ianua Musarum cap. 2. ità definiuit: *Diphthongus est duarum vocalium in eadem syllaba contractio; vt in Audio, Euge; in quibus duæ primæ vocales vnam syllabam efficiũt, ità tamen vt ambæ audiantur.* *Cauallus.*

Nos autem prædictis, & alijs, quos ad manum habebamus tunc, Grammaticis Capite I. Prosodiæ Reformatę, Regula 4. sic definiendam diphthongum putauimus: *Est autem Diphthongus duarum, diuersæ speciei, vocalium in vnam misti soni syllabam conspiratio.* In cuius Regulæ appendice inter alia diximus: *Requiritur, vt sic retineant naturam vocalis, vt vtriusque sonus ex parte audiatur.*

Riccio-lius.

VIII. Valde tamē miratus sum, Iacobum Pergamenum in tractatu de lingua Ital. pag. mihi XI. post definitionem illam: *Non è altro il Diftongo, che la congiuntione di due Vocali, rimanente ciascuna nella sua forza di Vocale, senza mutarsi in Consonante*, subiecisse hęc exempla, dicens de diphthongo: *Il quale in nostra lingua è di cinque maniere, cioè AE, Au, Eo, Eu, Vo: come in Aere, Aurora, Eolo, Europa, Vouo;* In Thesauro enim linguæ Etruscę idem, verbo *Aere*, dixerat: *Aere è maschile, e voce di tre sillabe.*

Pergamenus.

Et

Et ità reuera est in plurimis carminibus Etruscis; vt in illo Petrarchæ

L' Aere fosco al comparir dell' Alba.

Bissyllabum autem, sed sinè diphthongo, in versu illo Torquati Taxi

E l' Aer cieco à quel romor rimbomba.

Quòd si per figuram contrahantur vocales in vnam syllabam, quæ regulariter, & sinè priuilegio figuræ duas formarent syllabas, iam non diphthongus, sed Synæresis fuerit; vt in eo versu

L' Aere notturno è del silentio amico.

Similiter dixerim de nomine *Eolo*, quod regulariter trisyllabum est, vt in eo versu

Eolo i venti a suo talento affrena.

nec nisi vi Synæresis fiet dissyllabum, vt in hoc carmine

Eolo chiusi nell' antro i venti affrena.

Sed hæc obiter; non enim hic agimus de Diphthongis Italicis, sicut nec de Gallicis; vt in nomine monosyllabo *Tours*, & dissyllabo *Nemours*: múltòq; minus examinare volumus, an modum pronunciandi particulas *Aut*, & *Haud* discere debeamus à canibus baubantibus, & claman-

tibus *Bau Bau;* & an verum ſit, aliquos Corrigij reſoluentes diphthongum in duas ſyllabas, imitatos potius eſſe feles, ſeu catos lamentantes, clamanteſque *Gnau, Gnau;* & an oues melius pronuncient Diphthongum *AE*, vel *OE* quam nunc hominum plerique, dum aliquibus videntur clamare *Bae*, alijs *Boe*: hoc enim documento non indigemus. Alioquin poſſet aliquis hinc arripere anſam lepidioris Poematis, litem canes inter, & catos ſuſcitando, eoſque in prœlium committendo, vt olim otioſus ille Homerus Ranas, Mureſq; commiſit.

I. COROLLARIVM.

IX. EX dictis ſupra de natura, & proprietatibus Diphthongi, lectaque, ac relecta *Apologetica Determinatione*, cenſeo R. D. Petrum Maruertium damnandum non eſſe in aſſertis ab ipſo, prò Diphthongorum pronunciatione, in particulis *Aut*, *Haud*, *Ceu*, *Seu*: licet enim dixerit: *Queſte dizioni hanno vn ſol ſuono*, nuſquam

quam tamen dixit esse *vnum simplicem sonum*, nec exclusit duos sonos partiales, in vnum mistos; sed duos sonos adęquatè distinctos, & ità disiunctos, vt in duas syllabas Diphthongum resoluant. Explicauit enim se statim dicens: *hanno vn sol suono, e questo sì fattamente misto, e per così dire in vna sola sillaba cospirãte e conglutinato, che, &c.* Et infrà negat, vocalem V ità pronunciandam in *Aut*, sicut pronunciatur in *Vtinam*; hic enim pronunciatur sono completo, & perfectè distincto à quauis alia vocali; at in *Aut* non debet V tam perfectè sonare: *Peroche*, ait ipse, *altramente disciolto resteria il Dittongo, e la vocale A benche seguitamente pronunziata sarebbe da sè sola vna sillaba; vn' altra formerebbene la V: & a questo modo la prenominata particella* Aut *non saria dittongo, ne monosillaba, ma ben si dissillaba.* Ergo eatenus duos sonos reijcit, quatenus duæ vocales suo quælibet seorsim sono perfectè prolatæ, duas syllabas formarent; totusque in eo versatur, vt duarum vocalium in vnum quidem, sed

 mix-

mixtum, ſonum fiat conglutinatio: conglutinationis enim nomine vſi ſunt Calepinus, & Theſaurus linguæ Latinæ: eique æquiualent apud Deſpauterium, & Nebriſſenſem *Complexio*: apud Perottum & Voſſium *Comprehenſio*: apud Terentianũ, Verrepæum, Stoam, & Pergamenum *Coniunctio*: apud Cauallum *Contractio*: apud me *Conſpiratio*. Quoad ſingularitatem autem ſoni plures ità locuti ſunt, vt iam ex Numero VI. retulimus. Terentianus enim *duarum vocalium ſonos* ità iungi vult, vt *ſimul ſyllabam ſonent in vnam*. Deſpauterius, Budęus, Calepinus, Verrepæus non *ſonos*, ſed ſonum vſurparunt; & Perottus, *vnum efficiens ſonum*. Nec ſequitur, ſi vnus eſt ſonus, eum eſſe ſimplicem, quemadmodum vnum pharmacum, & vnus oculus eſſe poſſunt, etiam sì illud ex pluribus liquoribus mixtum; hic ex pluribus humoribus compoſitus ſit.

X. Sed neq; ex ſcripto D Maruertij colligere potui, vocalem V in particulis *Aut*, *Haud*, *Ceu*, *Seu*, de ipſius præſcripto, pronunciandam eſſe *labiorum repercuſſione*,

& ad

& ad modum Consonantis, nusquam enim talia dixit. Immò apertè protestatus est, ponunciandam V, vt vocalem; & in particulis *Aut*, *Haud*, *Ceu Seu* non posse, Latina lege seruata, proferri, vt Consonantem: quia licet habeat antè se vocalem, non habet tamen post se immediatè vocalem, cui consonet; id enim requiri, vt Latino more V pronuncietur tanquam Consonans, certum est adeò, vt etiam quando V Consonans est, vt in *Auis*, *Lauo* , *Caueo* , *Faueo*; si in deriuatis non subsequatur vocalis altera, transeat V in vocalem: vt in *Augur*, *Lautus*, *Cautus*, *Fautor*. Itàque occurrens huic oppositioni, ait: *Aggiungono, che mentre io con sì fatta unità e cospiratione pronunzio i dittongi* Aut, Haud, Ceu, e Seu, *fo la V Consonante: ma non s'auuedono, esser ciò anzi contra la natura della V, la qual douendo farsi consonãte, dopo, e non auanti, dee hauer la vocale, con cui consoni: in queste dizioni le vocali A & E precedono: adũque non la fo in verun modo Consonante.* Rectè vtique, cum cęterę ita præcedunt, vt vocali

cali V. non ſubſequatur altera vocalis; cui poſſit conſonare. Qua igitur ratione contra tam apertam proteſtationem ſuppoſitum fuit, eum conglutinando V cum A vel E præcipere, vt V fiat Conſonans? Neque dicas, eum in praxi, vſuque ipſo ſic pronunciando anſam dediſſe huic ſuſpitioni: nam ipſum non ſemel audiui coràm me dictas particulas rectiſſimè pronunciantem; ita vt aliquid de ſono vocalis V perciperem, nec eam labiorum cum dentibus compreſſione, ſed voce gutturali proferret.

II. COROLLARIVM.

XI. EX dictis pariter à Numero I. ad VIII. & ex Animaduerſionibus Anonymi Philo-grammatici diligenter relectis, apparet, eum ſcitè, ac iuxtà Grammaticorum Canones ſcripſiſſe de Diphthongis AV, & EV pronunciandis: licet enim aſſerat, diphthongos quaſque, ſi ritè pronuncientur, donandas eſſe *duobus*, *ſeu ſonis*, *ſeu vocibus*: & mox, *duplici*, *ſeu ſono*, *ſeu voce*

præ-

præditas esse oportebit; non vult tamen, ità insisti vtrique vocali perfectè, & distinctim proferendæ, vt duæ formentur syllabæ; sed requirit, vt vocales duæ in vnam syllabam copulatæ vim suam retineant. Inquit enim de Conglutinatione, Conspiratione, ac mistura: *Nobis verè satis constat, illas voces metaphoricè, & impropriè vsurpatas nil aliud significare, quàm copulationem, siuè coniunctionem vocalium, vim suam seruantium*: hoc est, vt superius ex mea Annotatione, (quam approbat) *sic retineant naturam vocalis, vt vtriusque sonus ex* parte audiatur. Nec Anonymus aliud contendit, quàm, vt respuantur duę conditiones, quas nescio, vnde collegerit a D. Maruertio assertas. *Prima* est, vt Diphthongi sonus non sit simplex, de hoc enim illum non dicens: *Tum quia vnicum illum, & simplicem sonum quanam in re commisceas, non vidimus; tum etiam, quia cum vnicum, & simplicem velis, repugnat, esse commistum*. Sed licet D. Maruertius vnicum sonum requisiuerit, nulquam tamen in sua Apologetica illum *simplicem*,

plicem,

plicem, ſed potius *mixtum* appellauit. Secunda conditio, ab Anonymo impugnata, eſt commutatio vocalis V in Conſonantem, quam ſequi neceſſario ex doctrina D. Maruertij ſuppoſuit, dicens: *In monoſyllabis* Aut, Haud, Ceu, *&* Seu *reclames, & conglutines, quantũ velis, donec pronunciaueris V labiorum repercuſsione, vt faciendum contendis, nunquam conficies, quin eam Conſonantem reddas*. Verùm cum ex dictis Numero x. ex ſcriptura D. Maruertij tale quid non colligatur, crediderim Anonymum, virum vtique probum, & prudentem, ex falſa, vel alterata relatione aliorum, vel vitiata pronunciatione aliquorum, auctoritate D. Maruertj ſe tuentium, opinionem illam hauſiſſe. Equidem non niſi ex eorum ſcriptis, & auditis coràm me, de hac re qualecunque iudicium meum formare potui. Quid verò factum, dictumue Corrigij, vel alibi fuerit, viderint alij: Hoc interim profiteor, me non ſtudio partium ſcripſiſſe, ſed Veritati calamum conſecraſſe.

Hucuſque volat egregiè calamus, verè Con-

ſula-

ſularis, & nobilis, nec non Apollini gratiſsimus, R. P. Ioannis Baptiſtæ Riccioliј. Tantus Heros, ac Magiſter ex tripode locutus oracula protulit, queis obniti piaculum eſt. Ea colo, veneror que: ſicuti faciet quicunque ſanæ mentis eſt, nec eget frutetis Anticyræ. Et quoniam eadem mihi propitia omnino interpretor, vt & idem ceteri omnes ore aperto fateantur, lubet ſeriatim hic producere obortæ litis, de recta Diphthongorum pronunciatione, progreſsus, quin & initia: annulosque omnes ſimul innectere, qui catenam confecerunt, Errori & Fallaciæ, vti ſperare fas eſt, vnicè grauem.

Primo

Primo igitur loco prodeant Theses, quas & in mei propugnaculum, & oppressæ Grammaticæ robur, primùm in lucem, campumque emersere: victoriæ utique candidatæ, quia Veritati militantes.



APOLO-

APOLOGETICA
DETERMINAZIONE
Circa la pronunzia
DE' DITTONGI
Nelle particelle AVT, HAVD, CEV, e SEV

DI PIETRO MARVERTI

DA SOLIERA.

§.I. E' *nata controuersia tra alcuni Gramatici, e me; se le parole* AVT, HAVD, SEV, *e* CEV *debbansi pronunziare con due, ouero con vn sol suono. S'è lungamente sopra ciò disputato: essend'eglino da me nella pronunzia delle souradette parole molto differenti. Siamo con tutti gli altri Gramatici d'vniforme opinione; che sieno Dittongi, monosillabe, e lunghe: ma poscia nel pronunziarle assai dissentiamo. Io dico, che queste dizioni hanno vn sol suono: e questo sì fattamente misto, e per così dire in vna sola sillaba cospirante e conglutinato, che per modo alcuno e per qualsiuoglia velocità di pronunzia tal'vnità, meschianza, conglutinazione e cospirazione non debba distinta e disunita vdire l'orecchio: perche la proprietà e natura di questi Dittongi così porta e richie-*

de. Tanto m'insegna il R.P. Gio. Battista Riccioli e l'Emanuello, amendue della Veneranda Compagnia di Giesù; il P. Ambrogio Calepini Erem. Agostiniano; il Caffaro, & altri.

§.II. *Non parlo qui delle autorità, che fanno a mio prò, di Virgilio, d'Ouidio, di Claudiano, d'Orazio, ed assaissimi altri Poeti, di sommo pregio e credito, ne' carmi de' quali i prenominati Dittongi si leggono e scandono di vn sol suono: perche di sì degni appoggi non abbisogna la Verità: e sarebbe ciò vn portar nottole ad Atene, vn'aggiungere acqua al Mare, e luce al Sole.*

§.III. *Ne mi si risponda, che la Poetica foggia di parlare dalla Oratoria diuersamēte proceda: peroche mi auuisa il Prencipe della Romana eloquenza* I. de Orat. *in contrario, col seguente Assioma:* Poeta est finitimus Oratori, numeris adstrictior paulò: *e in fatti la stessa pronūzia, senza sostantiale diuario, tāto ne' versi, quanto nella prosa, de' Dittōgi si osserua.*

§.IV. *Vantano gli Auuersarij, che il Calepini in lor difesa dica e decida: volersi i Dittongi proferir, come si scriuono. Ma*

ciò

ciò punto loro non giona; essendo la testimonianza, cui producono, d'vna impressione o stampa, che puzza d'antico. La onde poscia gli Scrittori più moderni e di più dilicato e terso vdito, conosciuta l' asprezza e scabrosità di somigliante pronunzia, non si lasciarono vscir di bocca i Dittongi in quel modo, che venner lor dalla penna: ma ne' Dittongi AE, OE, ed EI, le vocali A, O, ed E dissimularono; per lo che nelle impressioni moderne del sudetto Calepini non si vede, che debbansi proferire, come si scriuono: conciosia cosa che non si sentirebbe altrimenti la cospirazione e conglutinazione, cotanto necessarie allo spirito della pronunzia d' essi Dittongi.

§. V. *Aggiungono, che mentr' io con sì fatta vnità e cospirazione pronunzio i Dittongi AVT, HAVD, CEV, e SEV, fò la V consonante: Ma non si auuedono, esser ciò anzi contra la natura della V; la qual douendo farsi Consonante, dopo, e non dauanti, dee hauer la vocale, con cui consoni: in queste dizioni le vocali A & E precedono: adunque non la fo in verun modo Consonante.*

 §.VI.

§. VI. *Affermano, oltre a ciò, che nella particella AVT la V dee rendere quel ſuono, che ſentir fa nell' auuerbio VTINAM. Queſto i' niego: percioche altramente diſciolto reſteria il Dittongo; e la vocale A benche ſeguitamente pronunziata col rimanente, ſarebbe da sè ſola vna ſillaba: vn' altra formerebbene la V: e a queſto modo la prenominata particella AVT ne ſarebbe Dittongo, ne monoſillaba; ma ben ſi diſillaba e compoſta di due vocali diſparate.*

§. VII. *Di più a lor difeſa allegan l'vſo. In queſto particolare cammino con eſſo loro di pari concordia: ma fin' ora ho parlato della naturale e rigoroſa pronunzia; e di quella ſola e ſteſſa, che per ſincera proprietà di Dittongo, non negata alla verità dall' vſo comune, ſi coſtuma di fare coll' AV nelle parole* Aurum, Theſaurus, Cauſa, Laus, Fraus &c. *E ciò che dico dell' AV nelle addotte dizioni affermo tutto inſieme dell' EV nelle voci* Euge, Europa, &c. *nelle quali e ſomiglianti ſe non ſi ode la formal conglutinazione e coſpirazione delle due vocali, in vn ſol ſuono, del Dittongo, per-*

perduto sarà lo stesso Dittongo con abuso molto notabile.

§. VIII. *Si che conchiudo per conseguente: che con qualsiuoglia velocità mo si pronunzij, non dee con distintion veruna e disunione, se ben ciò si facesse senza interuallo di tempo, proferirsi nelle particelle AVT, HAVD, CEV, e SEV, A, V; E, V; ma congiuntamente AV, ed EV.*

Vix è prælis egressi sunt hi Canones, Legislatorum Artis Grammaticæ menti religiosè concinentes, cum se vocatos in prælia sensere. Ità scopus est facta, sagittis errantium, Veritas: vti scopulus quandoq: fit Inuidorum aliena probitas, & commendatio. Antequam tamen vlterius progrediar, & Aduersariorum tela promam, meis Effatis accudam duo propugnacula, siuè duos clypeos, vtique insigni ab incude, malleoque mihi concessos: nempe R.R. P.P. Io. Baptistæ Ricciolij, & Dominici Gamberti è Soc. Iesu duo suffragia, vel testimonia; adeo strenuè meis, minùs æquis, Censoribus obiecta; vt ne primam quidem cutim libare mihi

possint vel Achillis hastæ.

Sic itaque meas Theses, Italicè scriptas, vnanimi stylo probant ambo, confirmantq;

Io Gio: Battista Riccioli della Compagnia di Giesù, lette le sopraposte ragioni, & vdito in fatti il Signor D. Pietro Maruerti pronuntiar li sopranotati Distongi, la pronuntia di lui appruouo.

Approuatione I.

Io Domenico Gamberti della Compagnia di Giesù, lette le ragioni a penna ed alle Stampe, & vdite quelle, che in voce adduce il prenominato Signor D. Piero Maruerti, sopra la difficoltà, della qual qui ragiona, le giudico euidenti e vana qualunque altra gli si opponga in contrario.

Approuatione II.

Hæc Viri, quorum auctoritas ingens facit pugnaturo munimentum. Iam intrepidi descendamus in puluerem: & Choriphæi Aduersariorum obiecta fideliter enucleemus.

In Apologeticam Determinationem Diphthongorum

A V, & E V

R.D. PETRI MARVERTII SOLERIENSIS

Antagoniſtarum Corrigienſium

ANIMADVERSIONES

Ab Anonymo Philo-grammatico Corrigienſi obſequenti voluntate ad eundem conſarcinata.

CVM ab inanis gloriæ venatione prorſus ſemotum, veritatiſque ſtudioſiſſimum te ſemper obſeruauerim; non alienum exiſtimaui ab ea, qua te proſequor, obſeruatione; ſi veritatis amore ſuccenſus tuas partes in re literaria quandoque deſererem. Quod quidem modò non niſi ægerrimè, & prorsùs inuitò, coactuſque facio in pronunciatione Diphthongorum Au, & Eu. Quam tamen ità ſum amplexus, vt tui amore nunquam non exoptauerim eſſe falſam. Quinimmò, vt eam, ſicubì falſa eſt, deprehendere, ſin autem vera amplecti valeas, omnes conſilij noſtri rationes in tuam Apologeticam Determinationem aperire decreui. Idq; ſtylo, vtcunq; potui, Latino, tùm quia agitur de re Latina, tùm quia Latinè doctis hæc tantummodò ſcripta velim.

Tuæ igitur notiſſimæ & vulgatiſſimæ harum Diphthongorum contra communem vſum prolationi repugnantes, aſſerimus: Diphtongos quaſq; tùm Græcas, tùm Latinas non ſecùs, ac vulgares Etruſcas, ſi ritè pronuncientur, donandas eſſe duobus, ſeu ſonis ſeu vocibus: cum autem (ſi Capharum tuum, & reliquos

melio-

melioris notæ Grammaticos audiamus) Au, & Eu apud nos ritè pronuncientur, duplici seu sono, seu voce præditas esse oportebit; quod vel ipsum nomen indicare valeat. Dicitur enim Diphthongus à δὶς, hoc est Bis, & φθόγγοσ, idest vox, seu sonus; quasi bina vox, vel sonus. Vt enim constat binis vocalibus, ità etiam binis vocibus. Est enim vocalis (vt docet ipsemet Scopa) vox scriptilis. *Nam (subiungit)* singulæ vocales suas voces habẽt. *Quod & cæteri Grammatici, tàm è Græcis, quàm Latinis, vnanimi consensu docuerunt. Terentianus enim, qui floruit quarto sæculo nostræ salutis exacto, in suis Trochaicis sic ait*

Porrò vocalem secuta, vim tenet vocalium,
Et sonos vtrosq; iungit, vnde diphthongos eas
Gręcię dicunt Magistri, quod duę iunctę simul
Syllabam sonent in vnam, viq; gemina prędit ę
Semper effectũ duorum temporum custodiãt.

At verò instar omnium Græciæ Magistrorum sit nobis Iacobus Gretserius, qui Inst. ling. Græc. lib. p. Annot. p. sic habet: Illæ *(hoc est, αι & αυ)* dicuntur propriæ, quod duplicem edant sonum: Hæ verò *(hoc est ᾳ, & ῃ)* impropriæ, quòd simplici efferantur sono: *& Annot.* 2. Habent, *inquit*, Diphthongi hoc nomen à duplici sono. *Tandem Annot.* 3. Nonnulli eas biuocales Latinè appellant, vel quòd duplici constent vocali, vel quòd sonum edant geminum.

num. Quarè etiam bissonæ, vel bissonantes dici possunt. *Hæc ille.*

Quoniam verò Etruscorum etiam meminimus, non ab re fortasse fuerit afferre definitionem Diphthongorum, traditam à Iacobo Pergameno, ab optimis quibusq; Scriptoribus in linguæ præceptis plurimi semper habito. Hic igitur in suo tractatu de Lingua ità definit: Non è altro il Diftongo, che la congiuntione di due vocali: rimanente ciascuna nella sua forza di vocale, senza mutarsi in consonante, il quale in nostra lingua è di cinque maniere: In Ae, come in Aere. in Au, in Aurora. Eo, in Eolo. Eu, in Europa. Vo, in Vouo.

Nec ab his (vt putamus) discrepat Pater Ricciolius, qui suæ Prosodiæ Part. 2. Reg. IV. hæc habet: Est autem Diphthongus duarum diuersæ speciei vocalium in vnam misti soni syllabam conspiratio. *Et in Append. p. eiusdem Reg:* Iam, *inquit*, vt sit Diphthongus requiritur, vt duæ vocales sint diuersæ speciei, & vt sic retineant naturam vocalis, vt vtriusq; sonus ex parte audiatur. *Et paulò infrà:* Si verò non pronuncietur nisi vnius vocalis sonus, & alterius sonus omninò dissimuletur, aut synaloephè erit, aut Crasis. *Hæc Ricciolius. Ex Emmanuele verò quid de natura Diphthongorum adnotaueris, libenter de te audiuißemus. Capharus certè docet duas Au,*

& Eu,

& Eu ſcribi, & proferri. Et ne omittamus vllum ex Auctoribus, à te citatis, adeamus etiam Calepini Dictionarium: non illud quidem ditiſſimum, & omnimoda eruditione refertum, cuiq; ſimile nunquam fuerit Venetijs impreſſum, quod decem linguarum anno MDLXXXV. Lugduni editum, dicis olere vetuſtatem: verùm tuum: recentiſſimè Venetijs excuſum, ſic habens: Diphthongus eſt conglutinatio duarum vocalium, in eadem ſyllaba vim ſuam ſeruantium: ità dicta, quòd duarum vocalium in ea ſonus audiatur. *Ex horum igitur doctrina vide, quàm conſentienter collegeris, Diphthongos eſſe vnius tantummodò ſoni.*

Quid verò tibi velis tua illa conſpiratione, conglutinatione, ac, ſi Dijs placet, miſtura, & confuſione, non ſatis perſpicimus: tùm quia tua vulgata ratio proferendi huic theoriæ nullatenus conſonat: tùm quia vnicum illum, & ſimplicem ſonum quanam in re commiſceas non videmus: tùm etiam, quia cum vnicum, & ſimplicem velis, repugnat eſſe commiſtum. Nobis verò ſatis conſtat illas voces metaphoricè, & impropriè vſurpatas, nil aliud ſignificare, quàm copulationem, ſiuè coniunctionem vocalium, vim ſuam ſeruantium. Quod perſpicuè obſeruari licet in vulgari lingua Etruſcorum, quorum Diphthongi, vt definitione, ità etiam natura à Latinis minimè diſcrepantes, ità pronuntiantur, vt vocalis vtriuſque ſonus exaudiatur: vt ſonus A, & E, in

in Aere: *A*, *&* *V*, *in* Aurora: *E*, *&* O, *in* Eolo: *E*, *&* *V*, *in* Europa: *V*, *&* O, *in* Vouo: Buono, *&c. Quòd ſi non licet eos audire, audiantur ſaltèm Canes, in ſuo* Bau *non inepti fortaſsè præceptores.*

Quod dicis in carminibus Poetarum legi Diphthongos vnius ſoni, id omninò falſum eſt: tunc enim, vt ex Ricciolio ſupra, vel ſynaloephe, vel Craſi (addamus nos) vel barbara pronunciatione, è Diphthongis tranſeunt in monophthõgos. At ne tu cauens tibi à Scylla diſſyllabi, laberis in Charybdim monophthongi: non aſpiciens mediam inter vtraſq; viam, Diphthongum ſcilicet.

Non eſt porrò cur expectes à nobis diſcrimen vllum inter ſolutam, & numeris adſtrictam orationem: nunquàm enim id nobis venit in mentem.

Neq; verò iactamus Calepinum, vt qui non tàm Auctorem, quàm Collectorem eum eſſe ſciamus. Verùm iactamus eos, quibus lexicographi vſi ſunt; vel eos, qui Artes plenè tractauerunt.

Quod ad elegantem tuam Diphthongorum Ae, Oe, &c. eliminationem: inuaſit hæc annis abhinc amplius octingentis: eamq; Gothi, & reliquæ Barbaræ nationes inuexerunt. Quarè tantùm abeſt, vt hæc ſuauitas, quam non guſtauerunt aures Ciceronis, addita ſit Latinitati ab editione illius Calepini, vt amplius centum annis, ante eius editionem, cœperint reſtitui characteribus Diphthongi, reſtituẽdæ etiam pronun-

nunciationi, nisi obstitisset natura nostra, vt in morbum prona, ità ægrè conualescens.

In monosyllabis Aut, Haud, Ceu, *&* Seu *reclames, & conglutines quantùm velis; donec pronunciaueris V labiorum repercussione, vt faciendum contendis, nunquàm conficies, quin eam Consonantem reddas: quod scimus equidem repugnare eius naturæ: verùm scimus etiam non adeò stabilem, & firmam esse, vt instar adamantini scopuli barbaræ prolationis fluctibus minimè concedat.*

Alium sonum dicis habere V in Vtinam, *alium in* Aut. *At verò cum V vtrobiq; sit vocalis, & nullius vocalis Latinæ, quà vocalis est, diuersus rictu sonus, quod à nobis sciatur, fuerit obseruatus; quomodò asseris, alium hic, alium ibi habere sonum? Non est opus diuersitate soni, vt docent auctoritates allatæ, ad conficiendam Diphthongum: sed contractione, siuè coangustatione, & compressione quadam vocalium ità, vt ambæ vocales vnica vocis contentione proferantur. Quare V in Diphthongo eatenus differt ab V extra Diphthongum, vel quatenus homo pinguis, & benè habitus à se ipso graciliori: vel quatenus volumen aliquod, in torculari compressum, à semetipso, in bibliothecæ forulis collocato.*

Quod spectat ad vsum: tantùm absumus ab eius iactatione, vt eum potius, vbi à natura, & ratione discrepat, summoperè, licèt frustrà, improbemus.

mus. In pronunciatione verò illius AVT, quod tàm ingentes turbas hìc excitauit; eum vt Latinitatis naturæ ſummè congruentem, & probamus, & amplectimur: immo verò exoſculamur, vel hoc ipſo, quòd præluceat nobis ad vindicandam à Longobardica barbarie Latinam pronunciationem, vim illam in his dictionibus ſuſtinentem, quæ Diphthongos omnes Græcas in monophthongos, violenta metamorphoſi, traduxit. Vale, & boni conſule.

Ecce doctiſſimi Hoſtis eruditi conatus: verè Gigantei, ſcilicet irriti! Theſeus hic eſt, qui dum illaqueare nititur incautos, ſuo ſibi ſilo conſtruit labyrinthum. Subtilitate ſua nocet Laureæ, quam quærit: nam inſtar laruæ aciem ſpectantis effugiens, an illudens? vim vanam fatetur, euaneſcendo. Et ſanè, quaſi ad inanis obicis molem nihil hæſiſſem, Veritatis in curriculo felices eos proceſſus obiturus, queis diſcipulorum meorum bono continenter inſudo, niſi vnius hominis ad exemplum plures alij proſilijſſent, in arma conciſati, qui licet inutili pompa verborum meas de Diphthongis leges impugnent; & faſtus inſtar Perſici amæniorem ſcenam luminibus exhibeant, non acre certamen ingenio:

nio : tamen ne in vitium tanta fæcunditas abeat, iuniorumque inexperta virtus sollicitetur ad errores, seriò falcem tractare decreui, & amputare zizania, ne vlterius sobolescant; vel saltem euellere scrupulos, ne plantam vellicent. Igitur sequens Examen institui, ad quod non vnius D. Thesei Animaduersiones, sub obscuri nominis persona tectæ; sed aliorum quoque ingeniosę texturę (licet parùm firmę, solidæque) in me concinnatæ, vocantur ad trutinam, atque iure refelluntur, damnanturque; ne tenera Studiosorum seges malum humorem depascendo, prauè adolescat, & in labem affligatur. Tuum, Lector humanissime, munus esto, maturè perpendere, an iustè iudicarim: & futurum scio, vt mihi palmam adiudices, nisi fortè Græculi Paridis acerbiores pupillas in fronte geras; quæ, fluctuantes in luce, eam Victori negent, offerant victo.

ANI-

ANIMADVERSIONVM

D. Petri Mariæ Thesei Corrigiensis, & Doctoris Physici, in Petri Maruertij Soleriensis Apologeticas Theses de Diphthongorum AV, & EV

Rectà pronunciatione vulgatas

EXAMEN

Ab eodem Petro Maruertio Soleriensi, prono, & obsequenti in Theseum ipsum studio candidè institutum

Ad Erroris damnationem, ac triumphum Veritatis.

Ad R. D.

D. PETRVM MARVERTIVM

ANAGRAMMA PVRVM.

PETRVS DE' MARVERTIS

VIRTVTE MARS, PERDES.

DISTICHON.

Liuida tu solus, MARS VIRTVTE, agmina PERDES:
Tollitur hinc error, turpis & vsus abit.

ACHILLEVS SALVPVS.

QVòd me ab inanis Gloriolæ venatione alienum obſeruaueris, mehercule non admiror: talem enim vita, mores, oratio, habitus, ac mea in omnes obſeruantia me ſemper oſtentarunt. Gaudio afficior, haud nego, inficiorue, te, quanuis in re litteraria diſſentiaris, ac diſcrepes à me, bono, humanoque animo ergà me tamen eſſe. At caue, ne putes, in hoc me tibi concedere: nam te ipſum non diligo ſolùm, ſed peramo, & maximopere amplexor. Sit ergo inter nos animus idem, quanquam Diphthongorum ſententia, pronunciatioque ſit diſpar. Si verò tuis Argumentis, congeſtiſque in me Grammaticorum auctoritatibus, ſicuti par fuiſſet, maturiùs haud reſpondi, mihi nolim negligentię id vertas: ſcis enim, quantùm,

præ moroſo mei muneris miniſterio, continenter, inceſſanterque diſtinear. Nunc igitur verbis, quàm maximè paucis, maximèque perſpicuis, reſponſa in anguſtias mihi perſtringenda reor: opto enim, vt non peritiſſimi tantùm, ſed etiam Latino in ſermone leuiter verſati; ac præſertim Adoleſcentes, meum frequentantes gymnaſium, quæcunque dixero, probè cognoſcant, atque alta mente retinere poſſint.

In meas igitur Apologeticas Theſes de Diphthongis *AV* & *EV* omnes tuæ mentis rationes aperuiſti. Quàm ſanius conſilium tibi fuiſſet, tacere, & intrà carceres dentium verba remorari! Nam conatus oſtendere, meam harum prolationem Diphthongorum diſſonam, ac vitioſam audire, in eundem, in quo me iudicas hęrere, ſcopulum videris impactus. Id quidem ſeriò, mea in te beneuolentià, mirum in modum me pupugit: cum me non prætereat, quantopere ab omnium, humaniores litteras profitentium, & ſententia, & pronunciatione diſſideas. Verùm

rùm ad ſingularia progrediamur: ne Andabatarum more noſtra pugna cæcutiat.
§. I. Id, quod Axiamatis inſtar ſcribis: *Diphthongos quaſque, tùm Græcas, tùm Latinas, non ſecùs, ac vulgares Etruſcas, ſi ritè pronuncientur, duobus, ſeu ſonis, ſeu vocibus eſſe donandas*, eſt contra omnium recentiorum Grammaticorum præcepta, leges, ac regulas: & præſertim celeberrimi, ac in eruditorum Corona inter primores præclariſſimi, R. P. Ioannis Baptiſtæ Ricciolij è Soc. Ieſu: qui Reformatę Proſodiæ lib. 2. Reg. 4. *Diphthongum duarum diuerſæ ſpeciei vocalium in vnam mixti ſoni ſyllabam conſpirationem eſſe* conſtantiſſimè docet. Qui vtique ſi tuæ menti, & doctrinæ velificaret, dixiſſet potius: diphthongum eſſe duplicis ſoni, vel vel duarum vocum ſocietatem, vinculumque; non verò vnius, licet mixti, ſoni coagmentationem, fœduſque. Num verò diphthongi ſonus ſit mixtus, & ex parte tantùm vtriuſque vocalis vis exaudiatur, in hoc vel Africa, Monſtrorum mater, iudex adhiberi poteſt. Quiſnam de-

 plora-

ploratæ mentis homuncio affirmauerit, diphthongum in verbis *Melibæi*, *Pænæ*, *Præmij*, *&c.* duos sonos exequi, duasque voces, absque vlla significationis restrictione, absolutè complecti: cum non pronuncientur distinctè ambæ vocales, seu disiunctim *Moelibeus*, *Poena*, *Praemium*: sed ea *Vocalium* coniunctione, mutua mixtura, conglutinatione, aut conspiratione, quæ vnicum sonum pariat, *Mælibeus*, *Pæna*, *Præmium*! Et quod his de diphthongis præcipio, valet etiam suo modo de diphthongis *AV* & *EV*, quæ quidem omninò sunt mixti, & in vnum conspirantis soni, non autem duorum diuisim, vt in ijs haudquaquam prima, præcedensq; dissimuletur vocalis.

§.II. Quod autem hoc veritati cohæreat, ex eo patet, quia vna, eademque alioquin esset prolatio *Pænæ*, atque *Poesis*. Præterea: si diphthongus vna tantùm est syllaba, & hæc vna vox solum, quomodo rectè dici potest, diphthongum eamdem duobus ex sonis, vocibusque conflare? Diphthongum vero duabus constare vo-

calibus

calibus quiſque, vel puer, non ignorat. Ergo etiam duas voces habet; abſque complexione vlla, atque conglutinatione? Negatur conſequentia. Conſule Ricciolium, Emmanuelem, Verrepæum, Stoam, Vallam, Perottum, alioſque Grammaticorum Lycurgos, ex quibus Diphthongorum vim, & ingenium ſanè melius noueris. Scopæ documentum hic amplector: nam quis negare audeat, ſingulis vocalibus ſingulas eſſe voces, cum ſolæ Vocales Anima ſint, & ſpiritus Conſonantium? Hoc eſt cuiuis apertiſſimum. Syllabæ tamen, quæ ex duplici coiuere vocali, apud illuſtrioris notæ Grammaticos duos ſonos, duaſue voces haud habent; ſed vnam tantummodo, & hanc ita miſtam, metallorum inſtar ignis vi, & ardore iunctorum, vt ex parte tantùm vtraque vocalis, non verò completè audiatur; ac vnum ſonum, huncque ex duobus diuerſis mixtè coagmentatum, quia hoc diphthongi vis exigit.

§. III. Et profectò Capharus, quem meum, quòd ſit penes me, dicere tibi licet,

non quòd eo in docendo vtar; nam Emmanuelem, Ricciolíumq; à queis quidquid ſcio Grammatices, hauſi, hoc pacto meos appellare teneor, mihi apprimè fauet, dum ſcripſit: Ex quinque diphthongis, Æ. EI. OE. ſcribi, & non proferri; duas autem AV, & EV. ſcribi, & proferri, & quidem proferri iuxtà Diphthongi naturam, non verò duplici voce, ſiuè ſono diuiſim, quod Diphthongi ſoluit eſſentiam; ſicuti, vnione dempta, hominis diſſoluitur ædificium.

§ IV. A te productę Terentiani Regulę, meę opinioni oppidò ſuffragantur. Nam ſi diphthongus *ſonos vtroſque* (duarum ſcilicet vocalium) *iungit*, ſonum certè vnum, ex duobus mixtum ſimplicibus, conſtituit. Quarè ſequitur, quòd *duæ vocales, iunctæ ſimul, ſyllabam ſonent in vnam*; & *ità vi gemina præditæ*, hoc eſt mixto ſono, & in vnum conſpirante, ſemper *effectum duorum temporum cuſtodiant*; ideſt tenorem, vel circumflexum accentum ſeruent, qui quidem ſyllabam producens, duorum temporum momenta complectitur.

§. V.

§. V. De duplici Grecarum Diphthongorum sono, quem iactas docere Gretserum, vtique esse disiunctè duplicem non diffiteor; quoniam Alpha, disiunctum à Iota, priori in loco sonat, & Iota dissectum ab Alpha in posteriori. At quatenus diphthongi sunt, ex α, & ι constantes, ità vtrinque diuisim non sonant., sed simul, ac vnitè: sicque vnum, mixtumq; sonum reddunt. Vndè non est mirum, Diphthongos *biuocales*, *& bißonantes* appellari.

§. VI. Dè Diphthongis Etruscorum non erat cur meminisses; earum namque ratio non est eadem, quæ Latinarum. Iacobus Pergamenus, cuiuscunque tandem sit meriti penes optimos quosque, & potissimùm apud te maximi, id profectò parùm accuratus, in diphthongorum tractatu nō preſetulit. Hic enim pro certis ipsarum exemplis *Aere* & *Eolo* in medium promit, quæ non sunt religiosè diphthongi, quanquam Etruscis in carminibus, vi synæresis, quandoque retusas vocales *AE* in *Aere*, *EO* in *Eolo* patiantur. Vi synæresis id con-

conceſſi, non abſolutè: ſique forent propriè diphthongi, tam in ſoluta, quàm in vincta numeris oratione eſſet ſinè vlla reſtrictione concedendum: pronunciarentur enim verba illa diſſyllaba, quod illis non accidit, cum in illa ſemper, & in hac vt plurimum, triſyllaba proferantur. Ergo ex ſe minimè ſunt diphthongi. Ac ne ſinè exemplis loqui videar, Equitem Thomam Stilianum percurre, qui cecinit

E di dietro ſeren l' aer laſcioſsi.

Item Marinum, cuius arguto è ſtylo ſequens carmen erupit

Sia la foce d' Eolia in tutto chiuſa.

Demùm Annibalem Carum, qui mihi concinit, dum canit

Eolo poi, che il gran Padre de' venti.

His enim in locis *Æ*, & *OE*, ſi preſsè loqui iuuat, inter diphthongos non cenſentur.

§. VII. Verùm enim verò, ſicut hæ non ſunt Italicè Diphthongi, ità neque Latinè. Id probatur Ouidiano illo verſu *libro I.* Metamorph.

Proximus eſt aer illi leuitate, locoque.

Quem

Quem ità metior, & benè, si quidem recta Prosodiæ norma non me destituit.

Proximus-ésta-eril-lileui-tatelo-coque.

Idem nancifcor in fequenti, qui eiusdem Auctoris est, libro xv.

Alta petunt aer, atque aere purior ignis.

Sic enim in pedes metricos illum distinguo, partiorque

Altape-tunta-erat-quaere-purior-ignis.

Notandum etiam reor, quam maximè diuersas diphthongos in Etrusco vocabulo *Eolo*, ac in Latino *Æolus* esse iudicandas. Virgilianus certè calamus haud scripsit, absque gemina vocali, diphthongum conficiente, nomen hoc Regis Ventorum, vti faciunt Itali: cum secùs id pateat in carmine, quod adduco, vt potè meæ menti summoperè consentaneum

Æolus hæc contrà: Tuus, ò Regina, quid optes, &c.

Quo in loco *Aeolus* dactylus est, primam syllabam, ratione diphthongi *AE*, non autèm *EO*, producens. Vide nunc, an prudenter, atque rectè diphthongis Etruscis Latinas comparaueris. Patet ergo diphthon-

diphthongos *AV*, & *EV*, non item cæteras, Italico, ac Latino sermoni esse communes.

§. VIII. Dum verò adijcis, assuisque: *Nec ab his (vt putamus) discrepat Pater Ricciolius, qui* &c labore sanè scribendi hic potuisses supersedere. Quare hęc iactatio: *Vt putamus?* Non eum fortasse sentis, ac vides ab opinione tua toto Cœlo dissidentem? Vbinam pręcepit ille, diphthongos quasque, tùm Græcas, tùm Latinas, non secùs ac vulgares Etruscas, si ritè pronuncientur, duobus, seu sonis, seu vocibus esse donandas? Certè sua in Prosodia part. 2. reg. 4. diphthongum definiens, ait: *Est autem Diphthongus duarum, diuersæ speciei, vocalium, in vnam mixti soni syllabam conspiratio.* Quæ definitio adeo perspicua est, numerisque omnibus absoluta, vt ei nihil addi, vel auferri posse videatur: omnes namque definitionis optimæ prærogatiuas, & laudes amplectitur. Genere constat, & differentia, quæ sunt essentiales cuiusuis eximię, vt Philosophicè loquar, definitionis

par-

partes. Genus est *Conspiratio*; cætera verba stant loco differentiæ. Est clara, nitidaque. Conuertibilis est non per accidens, aut per contrapositionem, sed simpliciter, cum definito. Non est superflua, neque manca, aut diminuta. Ac tandem per ipsam à quocunque alio, in suo genere, desinitum differt, vt cuique, Logicæ rudimentis mediocriter delibuto, compertum est. Igitur cum doceat, diphthongum esse *duarum diuersæ speciei vocalium, in vnam mixti soni syllabam, conspirationem*, ab omnibus diphthongis vel duos sonos, vel duas voces, exterminat; ac easdem diphthongos mixto quodam gutturis halitu, sonituque, sed vno, & indiuiso, ex retusione, & conspiratione vocalium in vnitatem, fœdusque coalito, impertiendas esse doctissimè affirmat, ac præcipit. Id adhuc liquidò innuit in extremo primę Appendicis calce intrà limites eiusdem Regulæ, vbi hæc habet: *Vt vtriusque vocalis sonus, ex parte, audiatur*. Et quidem *audiatur, ex parte*, concinnè, & appositè addidit: nam si ex toto,

idest

ideſt integrè, & completè vtriuſque Vocalis vis inſonaret, non amplius diphthongus monoſyllabum, ſed verbum diſſyllabum potius, ex ſe ipſa conficeret. Qui hæc probè non cognoſcit, quid ni illum captum oculis arbitrer?

§. IX Telum ipſum, quod de Craſi, ac ſynalœphe in medium affers, malè tibi vindicas. Quoniam hæ figuræ apud Grammaticos ſolemnes, ac decantatæ, quantitate excepta, à diphthongis omninò diſcrepant. Tunc enim fit Craſis, cum altera ex vocalibus, priuilegio quodam non inutili, neque ſcribitur, neque pronunciatur: v. g. *Cogito*, pro *Coagito*: *Cogo*, pro *Coago*. Etiàm Craſis enaſcitur, quando vocales plures vnam contrahuntur in ſyllabam, quæ tamen ſcriptione, prolationeq; carent, quanuis diphthongi quantitatem adhuc retineant. Ex. g. *Iunior* prò *Iuuenior*; *Bobus*, pro *Bouibus*; idque valet in alijs huiuſmodi, non paucis. Synalœphe autem in vnius vocalis, præcedentem dictionem terminantis, reticentia conſiſtit: quod ex Ricciolio manife-

nifestum est, nec eget probatione. Si verò nosse discupis, an ex Emmanuele de Diphthongorum natura arcanum aliquod eruerim, tuo me dignare colloquio, & statim scies. Interim, vt id teneas, pro arbitrio tuo perlege Emmanuelem.

§. X. Neque somnies, aut putes, me tibi subirasci, quòd instar omnium Greciæ Præceptorum, Oraculorumque, Musæo tuo sit Iacobus Gretserus; qui optima sanè, si tamen optimè percipiantur, litteris, typisq; mandauit. Sit tuus hic Mecœnas, & Apollo. Mihi omnium instar, tùm Grecię, tùm Latij hoc in argumento Magistrorum erit R. P. Ricciolius: à quo ne digitum quidem discedam, ne fluctuem præceps, & incautus exorbitem.

§. XI. Si tuum Calepinum vetustate putere amicè dixi, ne ideo graueris, & acerbius feras: nam dum recentiores sermonis Latini Doctores diphthongos eo pacto, quo chartæ mandantur, haud pronuncient, vt audire licet ab cunctis, vbique gentium Latinè loquentibus, vera scripsi. Linguas vndecim, quibus est ipse refertus, approbo,

bo, atque commendo. Quinimmo ex his, mihi propitijs, confidera, quàm benè, & conftanter didicerim, atque collegerim, vnius, non verò duplicis, & tantummodo mixti foni, effe Diphthongos.

§. XII. Quid confpiratio, conglutinatio, ac velis nolis mixtura (non autem confufio) fibi velint, Ricciolium, Emmanuelem, Cauallum, Voffium, Efium, Probum, Stoam, Vallam, Verrepæum, Perottum, Defpauterium, aliofque confule: nec non eorundem definitiones maturo, & perfpicaci mentis acumine meditare, ftatimque horum vocabulorum quænam fit vis, & ratio, profectò comperies; difcefque vlterius, quo pacto Diphthongorum fonum fitè commifceas. Ego certè vnicum fonum, fimplicis inftar elementi, nolo; fed virtualiter duplicem, nimirum mixtim prolatum. Hic Etrufcas diphthongos nolo amplius in fcenam prouocare: cum de his fupra fatis, fuperque dixerim.

§. XIII. Canes, qui otiatur, & Brutis familiaris eft, audiat, in fuo Baubatu diphthongum docentes. Ego lubens homines

audio:

audio: à beſtijs abhorreo. At quis animi motus te quæſo impulit, vt canum baubatum hunc in locum reuocares? Si furem timeres, parcerem. Tractamus hic verba; non olera cuſtodimus. Vt verò ſeria perpendamus: Canis ego latratum vocem propriè non appellarim, ſed potius naturalem merè ſonum, vel naturalis affectus irrationale Signum. Vox enim dupliciter ſumitur. Alia eſt articulata, & perfecta: alia verò articulatione carens, eſt imperfecta. Illa preſsè hominis eſt, hæc autem belluarum. Ad primum, ex Petri Hiſpani ſententià, decem inſtrumenta requiruntur, vt excudatur: docetq; id hunc in modum.

Inſtrumenta decē ſunt: guttur, lingua, palatū;
Quatuor & dentes; pariter duo labia; pulmo.

Obijcies: hęc etiam canes obtinent. Reſpondeo; habent, ſed non ea vi, qua pollent homines, editi à Natura, & probè inſtructi ad rationalem loquelam. Lege Toletum lib. 2. de Anima in Ariſtotelem text. 91. quæſt. 23. de Vocis natura, cauſis, ac ſignificatione. Poſſem hic, inſtar Achillis, lacertoſum producere argu-

mentum, petitum ab intellectu, qui ad conformandam propriè vocem exigitur necessariò; nec non à motrice Animæ virtute, qua carent canes: quia hic mihi non est philosophandum.

§. XIV. Iam ad præcipuum nostræ quæstionis scopum mentis aciem denuò dirigamus. Affirmo rursùs, aut saltem clarius, Diphthongos AE, OE, & EI in pronunciatione nostra alteram deperdere vocalium: apud omnes enim, Latinè loquẽtes, tantùm ex ijs posterior auditur, quod potissimum vsurpatur in lectione Poetarum, quorum leges, pedibus alligatæ, aliquandò securius incedunt. Id ex Ouidio demonstro, cuius in epistola, Vlyssi à Penelope data, includitur sequens carmen Heroicum

Rettulit & ferro, Rhæsumq; Dolonaq; cæsos.

Id hunc in modum metiri solùm datur

Rettulit & fer-ro Rhæ-sumque Do-lonaq.-cæsos.

Vndè nitidè vides, Diphthongos *AE* in voce *Rhæsum* vno sono pronunciari, prima vacante vocali; sicut idem accidit Diphthongo OE, in verbo *Cæsos*. Siq; penitùs apud Antiquos non vacabat, tamen refracta audiebatur, ne numeros deprauaret. Idem

pari-

pariter vſurpatur & in illo Pentametro verſu eiuſdem Ouidij, Triſt. 3. vbi Diphthongus *EI* vno item ſono profertur

Queis erat Eurytion, Icariusque pater.

Sic enim ſcanſio ipſius obeunda eſt

Queis erat-Euryti-on-Icari-uſquepa-ter.

Igitur veritati conſentaneum affatim definiamus, has diphthongos, altera otiante, & feriante vocalium, vno tantùm ſono; non gemina ſpiritus effuſione, pronunciandas.

§. XV. Quàm bellè poſteà roſas Atticas in ore gerens, nobis amanter obiectas, an minaris? *Vel barbara pronunciatione è Diphthongis tranſeunt in Monophthongos*. Veneror monentem, amplexorque: contemplor hic enim tuum in me ſtudium, amoremque, tuarum primo in limine Animaduerſionum mihi liberaliter exhibitum, & ſplendidè expromptum. Intereà ne in Monophthongos, adeo ſubdolè latentes, impellar, oculatè cauebo: nec infelix mihi iter auguror, animoque effingo, cùm octo abhinc, & viginti annos hoc mare, non infauſto ſidere, emetiar. Et tibi tu conſule; nam in ſcopulos ſępenumero im-

 pin-

pingitur, qui sinè periculi metu mente Portum deuorat.

§. XVI. **Angui Natura dedit in securitatis** bonum latebras; & campum, solemque Leoni. Quot ad effugia tuis cum sectatoribus caput arrigis, vt Palmam compares? I. Audio concedi à vobis Diphthongos AV & EV mixto, vnicoq: sono vincta in oratione pronunciandas; ast non in soluta. Queis ex penetralibus habuistis hoc Oraculum? Quis Solon euulgauit hanc legem? Quis Censor, hac in re, Poetas disiunxit à Rhetore? Id candidè me latere fateor: sed, vt opinor, latet omnes; commentum enim est ingenij, & larua, inuenta à periclitante: non Veritatis statutum, & rei litterariæ validum dogma. II. Vocitatis ore distento, ampullatoque Calepinum, collectorem, & consarcinatorem, non verò primum rerum Auctorem, & repertorem. Id nullus neget: ast lubenter adhuc, hac laude spoliatus obiectæ à vobis, & desideratę Inuentionis, Calepinus alter essem: quàm ingens enim ærarium, ac thesaurus Eruditionis meo in capite cócluderetur?

tur? Meis III. ex finibus auertitis oculos, & in Gothos inuehimini, qui barbaram locutionem compulerint in Latium, ac propterea rectam Diphthongi pronunciandæ rationem peregrino idiomate, deprauarint. Igitur non ego tantùm, sed cæteri omnes, Vocabulario Latinę locutionis addicti, Scytharum fato quodam, malæ, dissonæque pronunciationis vitio laborant! Ergo vos vni ab hac labe communi immunes euasistis! Ergo infelix hoc lolium vniuersa germinat in Italia: granum innocens, & syncerum vnicè vestro adolescit in agello! O vos fortunatos terque, quaterque; qui tot inter cæcutientes oculos assequi, & rescipiscere potuistis: veramque Diphthongi, rectè pronunciandæ, legem è tot Barbarorum fluctibus expiscari! Vtrum verò iure, meritoque hoc decus vobis vindicetis, videant alij, queis copia suppetit temporis: quisque enim sibi potest hanc adsciscere prouinciam, cum censura vestra trahat omnes in huius erroris communionem. IV. In monosyllabis AVT, HAVD, CEV, & SEV pronunciandis, mendo mi-

 hi

hi vertitis, quòd magna ſpiritus contentione luctet, & violenta vocis colliſione labia repercutiam. Profectò laborem, quem mihi appingitis, ego non ſentio. In his proferendis connitor, quantùm ſufficit, & quantùm decet. Proferte quæſo menſuras, de ritè labijs aperiendis, ac dentibus, in litterarum pronunciatione ab Antiquis Legiſlatoribus conſtitutas, quas prætergredi ſit nefas. In poſterum credo cum Geometris ſocietatem inire debebit loquens, & manu gerere circinos, vel metricos pedes, dum linguam mouet, ne vltrà menſuram labia dilatet, aut diſtorqueat. Riſum tenatis, Amici! V. Erigitis ſupercilia, frontemque corrugatis, quòd dixerim: alio ſono efferendam vocalem *V* in aduerbio *Vtinam*; alio in *Aut*. Quid? Nonne vera docui, & benè pronuncio; vos verò vitiosè, qui eundem ſonum vtrobique ſtatuitis? Mecum ſodes perpendite, & cognoſcite, quæ vos larua decipiat! V in *Vtinam* ſonum ſimplicem, ex ſe completum, & nulla mixtione ex pluribus concinnatum, habet: vnaq.

naq. littera eſt ſimul, ac ſyllaba. Atqui V in *Aut* ſonum quidem vocalis exequitur, ſed obtuſum, & ſemimortuum, & alterius vocalis præcedentis A cum ſono mixtum, conglutinatum, & conſpirantem; alioquin ſe ſolo ſyllabam vnam conficeret, vocaliſque antecedens alteram: & hoc pacto *Aut* diſyllabum verbum eſſet, non verò diphthongus. Addite, vocalem V in *Vtinam* ſemper corripi, & eſſe breuem: quod non accidit vocali V in *Aut*; vbi, foederata cum vocali A, longa eſt, & producitur. Ecce quot tricas feciſtis veſtro pedi, dum, ſaltitando, Veritatis ab Argumentis caput reparare contenditis. Neque verò minus claudicat ſimilitudo, qua veſter Anteſignanus vtitur, diſcrimen explicaturus, intercedens inter vocalem V, in diphthongo comprehenſam, eandemque vocalem, iacentem extrà diphthongum. Ait enim primam eſſe inſtar hominis pinguis, alteram verò inſtar hominis gracilioris; qui ambo accidentaliter inter ſe differunt. Hic ſanè à cachinno abſtinere non poſſum; cum

potius contrà vocalis V longè gracilior ſit in diphthongo, quàm extrà diphthongum: ibi enim ſolùm auditur ex parte; ergo minùs eſt pinguis, & ſoni minùs dilatati: Hic autem ſonat, prout iacet, integrè; ergò obeſior eſt, & ſoni minùs conciſi, graciliſque. VI. Finis coronare ſolet opus; & tamen in cauda celatur etiam virus. Demùm apud vos vſum non vulgariter valere iactitatis; & tamen vſum in diphthongorum AVT, HAVD, CEV, & SEV pronunciatione pertinaciter, & propalam violare non erubeſcitis. Eſt hic amor abuſus, haud vſus. *Aut* enim debet eſſe monoſyllabum, ac longum, non verò diſſyllabum, ac breue; ita vt duas in partes diſſecetur, hoc pacto A-VT: vt à pluribus, veſtrę farinę Grammaticis, perperam vſurpatur.

Has leges exoticas, & diſſonas Gothi, mi Doctor, inuexerint. Quarè abrogentur iſtæ, vt verè exulet Barbariſmus. Si tamen AVT diſſyllabo nupſiſti, ſatis tuo fac genio. Quid inde naſcetur? An partus montis? Ergò ridiculus mus? Id ego.

tuæ

tuę conſcius indolis, conſtanter negarim: nam & aurum Montes pariunt. Et hoc tuas in Animaduerſiones ſit ſatis Examen.

PARERGON I.

§. I. PAuca hic lubet accudere loco Corollarij. Ratum itaque maneat, fixumque, vocales A, V; & E, V, in diphthongis AVT, HAVD, CEV, & SEV. non tantùm inuicem conglutinari, atque nodari, necnon ipſarum, ponè iacentium, iunctarumq; ſonum mutuò permiſceri: verùm etiam (nec id ſit dictu nefas) penitus incorporari. Cauſam quæritis? Expono. Vocalis V duplicem vim habet: aliquando enim vocalis eſt, Conſonans aliquando; quod quidem vocalibus A, E, & O non contingit. Hac duplici ratione ſoni, non ita ſimplicis, & perfecti, vt is eſt, quo pollent nuper exceptæ vocales, quandam ſibi vindicat aptitudinem, qua pluribus in dictionibus, & potiſſimum ſi altera ſubſequatur vocalis, videtur eſſe Conſonans, vel more Conſonantis efferri.

ri. Idem accidit diphthongo EI: A vero, E, & O ita ſunt vocales, vt nunquam poſſint degenerare in Conſonantes. Hac de cauſa in diphthongis Æ, & OE ita ſimul colligari non valent, & incorporari, vt ſonus vocalis vtriuſque in pronunciatione vtriuſque duriuſculè, & aſperè tantùm ex parte audiatur: in illis præſertim dictionibus, in quibus plures ſimul diphthongi conueniunt: v. g. *Pœnæ*, *Eubœæ*, *Galilææ*, *&c.*

§ II. Vniuerſa Aduerſariorum æquiuocatio in hoc ſita eſt: quod à pluralitate vocalium, vim aliquam ſui ſoni in Diphthongo retinentium, tranſitum faciant ad formalem pluralitatem vocum, necnon ſyllabarum. Concedo enim, explicatis vlnis, neutram in Diphthongo ita conſepeliri vocalium, vt omnino lateat, & taceatur: atque in HAVD v. g. extincta prima vocali A, tantùm ſonet particula HVD; ſiuè iacente, & ſopita altera vocali V, tantùm ſonet HAD. Hoc abrogo, antiquo, deteſtorque. Fateor, ſingulas diphthongi vocales eſſe operoſas, & vi peculiari pollere:

lere : ſed nego ita ſingulas ſonare in diphthongo, ac ſi eſſent extrà diphthongum ; ac propterea duas conficere ſyllabas, queis duplex ſonus diſiunctim reſpondeat.

§.III. Vtque vera me profari quiſquis intelligat ; prodeat hic in medium Eminentiſſimus Cardinalis Sfortia Pallauicinus, noſtri ſæculi Phœnix, qui iampridem Diuini Amoris potius, quàm malignæ febris inter flàmmas, abijt in cineres, vt immortalitati reuiuiſcat. Hic in libello, paucas, & inſignes Regulas dè Grammatica Etruſca complectente (& videbis hic, Doctor Theſeu, quàm malè diſceptaris de diphthongis Etruſcorum, vti ſuperius monui §. VI.) qui R. P. Franciſci Raynaldi Soc. Ieſu nomen præfert, adeo religiosè, & auſterè vult duas diphthongi vocales in vnum ſonum coire, ſyllabamque, vt eo ipſo pereat diphthongus, ſi in duplicem eæ poſſint diſſecari. Fruſtum breue tàm nobilis præceptionis, mihique apprimè congruæ, hic adducam, quiſque poteſt enim per otium reliqua delibare.

Igi-

Igitur ita ſcribit Num. 67. p. 44. *Per queſto nome Dittongo intendiamo due Vocali, che neceſſariamente facciano vna ſola ſillaba, ſenza poterſi ſciogliere in due. Per eſſempio GIO di REGIO non è Dittongo; peroche l'I e l'O deriuando da due ſillabe Latine GIO, traſportate ſenza veruna variazione nella voce Italiana, poſſono anche in queſta pronunziarſi, come due ſillabe; il che appare nel fine de' verſi ſdruccioli: E lo ſteſſo dico in GIO di REGIONE; in RIA di GLORIA e ſimiglianti. Ma CHIA di CHIARO; PIE di PIENO; BVO di BVONO; FIE di FIERO ſono dittongi, eſſendo incapaci di formare giammai due ſillabe.* Poterat ne prò me, meiſq; Theſibus, teſtimonium robuſtius, ac dilucidius excogitari? Si Auctoris ponderes nomen, ac meritum, Catonem habueris, & Heroa: ſi verborum ſignificationem, adeò clara eſt, & perſpicua, meæque menti penitus cohærens, vt nihil amplius deſiderem; digitoque Cœlum tangam, dum tanta Aquila auſpice ſolem tango Veritatis. Hinc Virgilius, qui antè Gothorum collu-

colluuionem, labesque floruit in Latio, num dissecuisse reperitur sua in Poesi duos in sonos, duasue in syllabas, diphthongos: an potius in vnum, sagittæ velut apicem, earum vocales contraxisse, ne carminum mésuras, rhythmumq; corrumperet? Quamobrem dum has dissecare voluit, peregrino quodam vsus est incremento, idque fatetur carmen illud, penes Grammaticos solemne

AVLAI in medio libabant pocula Bacchi.

Quo profecto priuilegio Latinus hic noster Homerus abstinuisset, absque quo alienæ vocalis I auxilio vnam syllabam lucraretur, si vox *AVLAE* tres in syllabas, sonosque, suopte ingenio, distingueretur.

PARERGON II.

§. I. HIc mihi rescribendum superesset aliquid circà ea, quę R.D. Sauarus in me typis mādanda curauit: hæc enim lacinia nostro in panno desiderari videtur. Verùm quia huc vsque ea arma, & argu-

menta congeſſi, quæ ſatis ſuperque ſoluunt, & expugnant meis rationibus ab ipſo obiecta, propterea nolo terere tempus, fruſtrà digladiando, & defatigando incudes ſinè neceſſitate. Addo: quòd iam manuſcriptam Apologiam longè, latèque diſſeminaui, quæ vniuerſam, vti ſpero, meę pronunciationis, (quam Sauarus nunquam audiuit, ac propterea gratis carpit) caliginem abſterſerit, vbertoſumque pabulum ſuffecerit Veritati.

§.II. Alteri demum Cynico, qui ſub fictitio Priſciani Cęſarienſisnomine,pronunciationis Corrigienſis edidit deciſionem, paucis reſpondeo: Vſum, & Conſuetudinem, quæ in certis quibuſdam vocibus proferendis popello datur, à viris doctis, qui ſibi rerum ſcientiam reſeruant, quique benedicendi leges apud ſe tenent, ac interpretantur, nunquam fuiſſe receptam. Me certe non fallit, vſui magnum eſſe pondus, ac momentum: *Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi*. Sed vſus eſſentia, vis, & ratio non eſt in Vulgi arbitrio conſtituenda: alioquin error erit, in-

ſtar

ſtar legis; quis enim errori magis obnoxius, quàm Populus? Si ità eſt: igitur, vt ſuperius affirmauimus, ſita eſt apud eruditos: quorum in ore diphthongorum AVT, HAVD, CEV, & SEV pronunciatio ſolemniter fuit ſemper inſtar vocis monoſyllabæ, non vero diſſyllabæ. Quarè malè impulit Apollo hunc Priſcianum ad Oracula, adeo fluctuantia, & aliena à veritate: quid enim ineptius, quàm hæc futilia præcipere: *Qui vrbanus, qui probus, qui nobilis, qui vir doctus eſſe cupit, V mollem, non aſperam, prædictis in diphthongis, enunciet?* Ruſtica vrbanitas hæc eſt, improba probitas, & indocta doctrina; quæ auertit à conſuetudine, à viris omnibus & vrbanis, & probis, & doctis, vt hucuſque demonſtrauimus, obſeruata.

§. III. Et quoniam iſto Conſuetudinis vulgaris clypeo teguntur multi, & argumenta noſtra declinant, opus eſt, vt fallaciam deteſter, quam tanta, & crebra, huiuſce Conſuetudinis iactatio, doloſè complectitur. Profectò mihi compertum eſt, *Vincere Conſuetudinem* (vti ſuper Pſalmum. 30.

30. Diuus loquitur Augustinus) *duram esse pugnam*. Attamen, vt euincam, audacter pugno, ac pugnabo constanter: quoniam (quemadmodum Tertullianus de Virg. Veland. testatus est) *Veritati nemo præscribere potest: non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè Consuetudo initium, vel ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur: & ità aduersus Veritatem vindicatur*. Ne peccet ergo lex, quam Augustinus lib. 8. confess. *peccare*, dixit, *violentia Consuetudinis, qua trahitur etiam inuitus animus eo modo, quo in eam volens illabitur*. Hinc factum est, vt Consuetudo transeat in mores, & quasi legem faciat, ac statuat: qua duce omnia per fas, & nefas, liceat exequi. Idem audiatur Augustinus in Enchirid. cap. 82. *Peccata, quanuis magna, & horrenda, cum in Consuetudinem veniunt, aut parua esse, aut nulla creduntur vsque adeo: vt non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda, diffamandaque videantur*. In hos mihi laqueos,

queos, vt ad noſtra reuertamur, pedem inſerere non libet. Vigeat, & excreſcat licet in praua diphthongorum pronunciatione Vulgi inconcinna conſuetudo; lactetur à Patronis, & enutriatur; demùm extollatur in ſidera: ego certè flocci faciam, & eo lumine conſiderabo, quo intèr aſtra tueor Cancrum, vel Hydram.

§. IV. Nonnullorum pudendo Axiomati, qui affirmant, in vocibus *Deus*, *Nicolaus Meus*, *&c.* eam conflandam eſſe diphthongum, quæ conficitur in verbis *Protheus*, *Fraus*, *Laus*, *&c.* non eſt cur obnitar, & duriùs inſurgam: Auctores enim ipſi ſe ſe parùm tenere declarant vim, naturamque diphthongi. Quamòbrèm Grammatices inſtituta benè perpendant, & abſque dubio obiti erroris conſcij, concinent Veritati, canendo Palinodiam.

Reſtat hìc, vt ad te, quem potiſſimùm reſpicit, mea, dum in Portu conſtitutum me ſentio, Doctor Theſeu, conuertatur Oratio. Te de nota meliori peramo, complectorque, vt initio ſum faſſus, ſed hac de quæſtione tua non probo: & quarè non probem, ſi vis, abſque interprete,

tu ipse cognosces. Antequàm Leges feras, diligentèr examina: qui enim facilè concepta, facilè enititur, sæpè facit abortus, quos erubescat. Preterea monitum te velim, vt R. P. Riccioli clementiam in te mireris, & humanitatem; quæ tanta fuit, & adeò prodiga, vt beneuoli calami miro quodam opificio velamen attexuerit, quo te operiat, ne mendosus appareas: sequentem in modum benignè interpretando tuas Animaduersiones; ad bonam scilicet frugem, quantum ex se est, tuas auenas traducendo: *Apparet eum* (subintelligit Doctorem Theseum) *scitè, ac iuxtà Grammaticorum Canones de diphthongis AV, & EV pronunciandis, scripsisse. Licet enim asserat, Diphthongos quasque, si ritè pronuncientur, donandas esse duobus, seu vocibus, seù sonis; & mox: duplici, seu sono, seu voce præditas esse; non vult tamen ita insisti vtrique vocali perfectè, & distinctim proferendæ, vt duæ formentur syllabæ; sed requirit, vt vocales duæ in vnam syllabam copulatæ, vim suam retineant.* Eccè bonitatis amantis ingenium, quæ dicere debuisses, te dixisse testatur. Intereà equi boni-

bonique consule, si tuum apertè nomen luci prodidi (quod & fecit P. Ricciolius) dignum quippè, vt in luce viuat, dum est cum Virtute, & Virtutis famà coniunctum. Ea vi premor occupationum, quę quotidiè me tenent, & distinent, vt eximere me voluerim ab eo labore, quem tu vltrò suscepisti, in aures omnium linguà spargendo, te earum Animaduersionem, quas Anonymi tegumento palliasti, fuisse textorem: hancque prouinciam commisi calamo, præloque, vt faciliùs id resciretur, quod tu ipse laborioso conatu vulgaras. Si quid supersit in animó tuo fæcis, & dubij, coràm Iudice, & Roscio: nempè coràm R. P. Io: Baptista Ricciolio (quod sæpè propositum est, & conclusum, sed nunquàm abs te præstitũ) nec non coràm testibus, fide dignis, illam generosus, & syncerus egere: sic enim fiet, vt errore absterso, elimatus ęrugine omni, scorioq; expurgeris; & sis verè Theseus, Ariadnæ filo, nempè Veritatis lumine præeunte, superãdi labyrinthi, scilicèt erroris expugnandi, splendidus Magister; & Minotauri, nimirum Inscitiæ Victor eruditus. Vale.

Verùm enimuerò optimè sentimus, facem exhibere nos cæco, & surdo canere. Labore syncero, iustissimoque prælorum edebatur adhuc in lucem hoc Examen, eum in finem unicè institutum, vt quidquid vliginis, & mucoris litterarias in palæstras inuexere noxÿs Dissertationibus & Philogrammaticus, & Sauarus, & Cæsariensis Priscianus, abstergeretur: cum eccè gliscit vberiùs ærugo, & pristinum virus maioribus incrementis amplificatur. Nam ea solùm mente, vt R. P. Dominici Gamberti (à quo Mutinæ minùs liberali vultu fuerat exceptus Anonymus, quia patronus erroris, & in tuenda falsitate pertinax) nobis propitia suffragia, atq; testimonia, R. P. Io: Baptistæ Riccioly sapientissimæ menti conformia, conuellerentur, iteratis hic eruptionibus in nos temerè desæuit; Veritatisq; sacros in lares, & venerabiles aras, magni piaculi reus, luctuosas faces importat. Commentationes enim nouitias, Italicas nostras Theses de rectà Diphthongi enunciatione iampridèm cusas, paraphrasticè, an præposterè? declarantes, typographo Bononiensi vulgandas tradit: veriùs tamèn

mèn resti, atque patibulo; tot enim mendis redundant, & labibus, vt natales suos, absque vllius Areopagi seueriore sententia, iure Carnifici, non Nutrici, commendandos aperiant. Ità vero, ac diuino mandato conducere monet eiusmodi furfuris homines Ethnicæ Scholæ Doctor, & Apostolus, Non plùs sapere, quàm oporteat sapere; sed sapere ad sobrietatem: *quemadmodùm enim molestus est, & noxius excessus in cibo, si maximè imbecillitate quadam natiuà laboret stomachus, magnæ esculentorum, ac poculentorum farragini, ac vi concoquendæ impar: sic officit affectata plus æquo ventosæ Sapientiæ congeries ei menti, cuius angusto in horreo violenta compressione coaceruata caput grauat, haud ditat, aut perficit. Veruntamèn ne nostra ex orbita deflectamus, adeo selecti Argumenti tracti dignitate, reprehendamus iter institutum, & relicta hac Thesi ad Ypothesim regrediamur. Recentium Philo-grammatici Obseruationum scabies, ac pædor nos adegit, vt hoc ab Opusculo eas extruderemus, ne molesta*

Rom. 12.

mephiti Lectoris nares, & R. P. Ricciolij Oracula, imprudētèr inquinaremus. Concisas itaque solùm in minutula frusta producimus, ut sinè nausea, beneficio syncera Anatomes, ulcus intelligatur, haud lædat., & noceat. Hoc pacto industri inuento, licet malæ, proderunt: passim enim optimorum Scriptorum documentis adiungentur, quorum succosum robur earundem luem felicitèr exarmabit. Nequè modici veneni gutta, optimo cibo immista, læsit Mithridatem. Interim nostra studia, sereno lumine, patiaris, benignè Lector; eorum enim in labore unicè nobis in votis est VERITAS: qua auspice, uti spe ducimur futurum, calculus, nobis gratiosè militans, R. P. GAMBERTI, non satis intellectus, ac propstereà neglectus à Philo-grammatico, sequentis DIATRIBÆ è robusta funda hostile opus, malè consarcinatum, ac verè chimericum Colossum, obnixè labefactabit, demolietur, euertet.

DE

DE

Commentitijs Commentationibus

IN

ITALICAS THESES

Quas

R. D. PETRVS MARVERTIVS SOLERIENSIS

Iampridèm de recta Diphthongi pronunciatione Mutinensi è prælo vulgauerat

Ab Anonymo Corrigiensi Philo-grammatico

NIMIRVM PETRO MARIA THESEO

SAXOLENSI DIDASCALO

Nupèr Bononiæ Ferroniana è Typographia in lucem traditis

DIATRIBA

BIFARIAM DIVISA

Quæ Mineruam omnem iugulat Aduersariorum.

menta congessi, quæ satis superque soluunt, & expugnant meis rationibus ab ipso obiecta, propterea nolo terere tempus, frustrà digladiando, & defatigando incudes sinè necessitate. Addo: quòd iam manuscriptam Apologiam longè, latèque dissseminaui, quæ vniuersam, vti spero, meę pronunciationis, (quam Sauarus nunquam audiuit, ac propterea gratis carpit) caliginem absterserit, vbertosumque pabulum suffecerit Veritati.

§.II. Alteri demum Cynico, qui sub fictitio Prisciani Cęsariensisnomine, pronunciationis Corrigiensis edidit decisionem, paucis respondeo: Vsum, & Consuetudinem, quæ in certis quibusdam vocibus proferendis popello datur, à viris doctis, qui sibi rerum scientiam reseruant, quique benedicendi leges apud se tenent, ac interpretantur, nunquam fuisse receptam. Me certe non fallit, vsui magnum esse pondus, ac momentum: *Quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi*. Sed vsus essentia, vis, & ratio non est in Vulgi arbitrio constituenda: alioquin error erit, in-

star

ſtar legis; quis enim errori magis obnoxius, quàm Populus? Si ità eſt: igitur, vt ſuperius affirmauimus, ſita eſt apud eruditos: quorum in ore diphthongorum AVT, HAVD, CEV, & SEV pronunciatio ſolemniter fuit ſemper inſtar vocis monoſyllabæ, non vero diſſyllabæ. Quarè malè impulit Apollo hunc Priſcianum ad Oracula, adeo fluctuantia, & aliena à veritate: quid enim ineptius, quàm hæc futilia præcipere: *Qui vrbanus, qui probus, qui nobilis, qui vir doctus eſſe cupit, V mollem, non aſperam, prædictis in diphthongis, enunciet?* Ruſtica vrbanitas hæc eſt, improba probitas, & indocta doctrina; quæ auertit à conſuetudine, à viris omnibus & vrbanis, & probis, & doctis, vt hucuſque demonſtrauimus, obſeruata.

§. III. Et quoniam iſto Conſuetudinis vulgaris clypeo teguntur multi, & argumenta noſtra declinant, opus eſt, vt fallaciam deteſter, quam tanta, & crebra, huiuſce Conſuetudinis iactatio, dolosè complectitur. Profectò mihi compertum eſt, *Vincere Conſuetudinem* (vti ſuper Pſalmum.

30.

30. Diuus loquitur Augustinus) *duram esse pugnam*. Attamen, vt euincam, audacter pugno, ac pugnabo constanter: quoniam (quemadmodum Tertullianus de Virg. Veland. testatus est) *Veritati nemo præscribere potest: non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè Consuetudo initium, vel ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur: & ità aduersus Veritatem vindicatur*. Ne peccet ergo lex, quam Augustinus lib. 8. confess. *peccare*, dixit, *violentia Consuetudinis, qua trahitur etiam inuitus animus eo modo, quo in eam volens illabitur*. Hinc factum est, vt Consuetudo transeat in mores, & quasi legem faciat, ac statuat: qua duce omnia per fas, & nefas, liceat exequi. Idem audiatur Augustinus in Enchirid. cap. 82. *Peccata, quanuis magna, & horrenda, cum in Consuetudinem veniunt, aut parua esse, aut nulla creduntur vsque adeo: vt non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda, diffamandaque videantur*. In hos mihi laqueos,

queos, vt ad noſtra reuertamur, pedem inſerere non libet. Vigeat, & excreſcat licet in praua diphthongorum pronunciatione Vulgi inconcinna conſuetudo; lactetur à Patronis, & enutriatur; demùm extollatur in ſidera: ego certè flocci faciam, & eo lumine conſiderabo, quo intèr aſtra tueor Cancrum, vel Hydram.

§.IV. Nonnullorum pudendo Axiomati, qui affirmant, in vocibus *Deus*, *Nicolaus Meus*, *&c.* eam conflandam eſſe diphthongum, quæ conficitur in verbis *Protheus*, *Fraus*, *Laus*, *&c.* non eſt cur obnitar, & duriùs inſurgam: Auctores enim ipſi ſe ſe parùm tenere declarant vim, naturamque diphthongi. Quamòbrèm Grammatices inſtituta benè perpendant, & abſque dubio obiti erroris conſcij, concinent Veritati, canendo Palinodiam.

Reſtat hìc, vt ad te, quem potiſſimùm reſpicit, mea, dum in Portu conſtitutum me ſentio, Doctor Theſeu, conuertatur Oratio. Te de nota meliori peramo, complectorque, vt initio ſum faſſus, ſed hac de quæſtione tua non probo: & quarè non probem, ſi vis, abſque interprete,

tu ipſe cognoſces. Antequàm Leges feras, diligentèr examina: qui enim facilè concepta, facilè enititur, ſæpè facit abortus, quos erubeſcat. Preterea monitum te velim, vt R. P. Riccioliј clementiam in te mireris, & humanitatem; quæ tanta fuit, & adeò prodiga, vt beneuoli calami miro quodam opificio velamen attexuerit, quo te operiat, ne mendoſus appareas: ſequentem in modum benignè interpretando tuas Animaduerſiones; ad bonam ſcilicet frugem, quantum ex ſe eſt, tuas auenas traducendo: *Apparet eum* (ſubintelligit Doctorem Theſeum) *ſcitè, ac iuxtà Grammaticorum Canones de diphthongis AV, & EV pronunciandis, ſcripſiſſe. Licet enim aſſerat, Diphthongos quaſque, ſi ritè pronuncientur, donandas eſſe duobus, ſeu vocibus, ſeù ſonis; & mox: duplici, ſeu ſono, ſeu voce præditas eſſe; non vult tamen ita inſiſti vtrique vocali perfectè, & diſtinctim proferendæ, vt duæ formentur ſyllabæ; ſed requirit, vt vocales duæ in vnam ſyllabam copulatæ, vim ſuam retineant.* Eccè bonitatis amantis ingenium, quæ dicere debuiſſes, te dixiſſe teſtatur. Intereà equi-
boni-

bonique consule, si tuum apertè nomen luci prodidi (quod & fecit P. Ricciolius) dignum quippè, vt in luce viuat, dum est cum Virtute, & Virtutis famà coniunctum. Ea vi premor occupationum, quę quotidiè me tenent, & distinent, vt eximere me voluerim ab eo labore, quem tu vltrò suscepisti, in aures omnium linguà spargendo, te earum Animaduersionem, quas Anonymi tegumento palliasti, fuisse textorem: hancque prouinciam commisi calamo, præloque, vt faciliùs id resciretur, quod tu ipse laborioso conatu vulgaras. Si quid supersit in animó tuo fæcis, & dubij, coràm Iudice, & Roscio: nempè coràm R. P. Io: Baptista Ricciolio (quod sæpè propositum est, & conclusum, sed nunquàm abs te præstitũ) nec non coràm testibus, fide dignis, illam generosus, & syncerus egere: sic enim fiet, vt errore absterso, elimatus ęrugine omni, scorioq; expurgeris; & sis verè Theseus, Ariadnæ filo, nempè Veritatis lumine præeunte, superãdi labyrinthi, scilicèt erroris expugnandi, splendidus Magister; & Minotauri, nimirum Inscitiæ Victor eruditus. Vale.

Verùm enimuerò optimè sentimus, facem exhibere nos cæco, & surdo canere. Labore syncero, iustissimoque prælorum edebatur adhùc in lucem hoc Examen, eum in finem vnicè institutum, vt quidquid uliginis, & mucoris litterarias in palæstras inuexere noxijs Dissertationibus & Philogrammaticus, & Sauarus, & Cæsariensis Priscianus, absterger etur: cum eccè gliscit uberiùs ærugo, & pristinum virus maioribus incrementis amplificatur. Nam ea solùm mente, vt R. P. Dominici Gamberti (à quo Mutinæ minùs liberali vultu fuerat exceptus Anonymus, quia patronus erroris, & in tuenda falsitate pertinax) nobis propitia suffragia, atq; testimonia, R. P. Io: Baptistæ Ricciolij sapientissimæ menti conformia, conuellerentur, iteratis hic eruptionibus in nos temerè desæuit; Veritatisq; sacros in lares, & venerabiles aras, magni piaculi reus, luctuosas faces importat. Commentationes enim nouitias, Italicas nostras Theses de rectâ Diphthongi enunciatione iampridèm cusas, paraphrasticè, an præposterè? declarantes, typographo Bononiensi vulgandas tradit: veriùs tamèn

mèn resti, atque patibulo; tot enim mendis redundant, & labibus, vt natales suos, absque vllius Areopagi seueriore sententia, iure Carnifici, non Nutrici, commendandos aperiant. Ità vero, ac diuino mandato conducere monet eiusmodi furfuris homines Ethnicæ Scholæ Doctor, & Apostolus, Non plùs sapere, quàm oporteat sapere; sed sapere ad sobrietatem: *quemadmodùm enim molestus est, & noxius excessus in cibo, si maximè imbecillitate quadam natiuà laboret stomachus, magnæ esculentorum, ac poculentorum farragini, ac vi concoquendæ impar: sic officit affectata plus æquo ventosæ Sapientiæ congeries ei menti, cuius angusto in horreo violenta compressione coaceruata caput grauat, haud ditat, aut perficit. Veruntamèn ne nostra ex orbita deflectamus, adeo selecti Argumenti tracti dignitate, reprehendamus iter institutum, & relicta hac Thesi ad Ypothesim regrediamur. Recentium Philo-grammatici Obseruationum scabies, ac pædor nos adegit, vt hoc ab Opusculo eas extruderemus, ne molesta*

Rom. 12.

mephiti Lectoris nares, & R. P. Ricciolij Oracula, imprudētèr inquinaremus. Concisas itaque solùm in minutula frusta producimus, vt sinè nausea, beneficio syncera Anatomes, vlcus intelligatur, haud lædat., & noceat. Hoc pacto industri inuento, licet mala, proderunt: passim enim optimorum Scriptorum documentis adiungentur, quorum succosum robur earundem luem felicitèr exarmabit. Nequè modici veneni gutta, optimo cibo immista, læsit Mithridatem. Interim nostra studia, sereno lumine, patiaris, benignè Lector; eorum enim in labore vnicè nobis in votis est VERITAS: qua auspice, vti spe ducimur futurum, calculus, nobis gratiosè militans, R. P. GAMBERTI, non satis intellectus, ac propterea neglectus à Philo-grammatico, sequentis DIATRIBÆ è robusta funda hostile opus, malè consarcinatum, ac verè chimaricum Colossum, obnixè labefactabit, demolietur, euertet.

DE

DE
Commentitijs Commentationibus
IN
ITALICAS THESES

Quas

R. D. PETRVS MARVERTIVS SOLERIENSIS

Iampridèm de recta Diphthongi pronunciatione Mutinensi è prælo vulgauerat

Ab Anonymo Corrigiensi Philo-grammatico

NIMIRVM PETRO MARIA THESEO

SAXOLENSI DIDASCALO

Nupèr Bononiæ Ferroniana è Typographia in lucem traditis

DIATRIBA

BIFARIAM DIVISA

Quæ Mineruam omnem iugulat Aduersariorum.

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. MARCHIONI

ALOYSIO SCOTTO

In Aulà Serenis. Parmæ, atq. Plac. Ducis Supremo rei bellicæ tormentariæ

PRÆFECTO

Auctor felicitatem.

TRiumphati Samnitis arma Sp. Caruilius Capitolini Iouis in Coloſſum, ſculpturę elegantis argutià, cum traduxiſſet, etiàm minuſculum ſimulacrum confecit E LIMÆ RELIQVIIS, quod Dei fulminatoris ad pedes, ſupplicabundi Auctoris ad ſimilitudinem, Tarpeia in Arce ſtatueretur. Temporum ſucciſiua, reſidua veluti perludentis ſtyli fragmenta, quæ maiorum ſtudiorum ſerijs contentionibus diſtento mihi ſuperauere, ne infructuoſa conciderent, parui ſigilli ad opus amœnè contuli; DIATRIBÆ ſcilicèt huiuſce ad extemporaneam

Plin. lib. 14. c. 34.

neam

neam lucubrationem; hostis, luce palàm debellati, fractis armis nonnihil amplificatam. Cui verò satiùs hæc deuoueretur, quàm tibi, Illustriss. Marchio; quem & Regij sanguinis claritudo; & litterarià in re cultior elegantia; & equestris vrbanitatis in flore nitor; & prudentię delectioribus in momentis eximia ponderatio; & Farnesiana in Aula spectata dignitas, abiuncta fabulosi nominis fęce, Iouem declarat. Sol ipse, verus Cælorum Iupiter, quià siderum Princeps, Phœnicis, senio despoliati, Ægyptiaco in delubro donarium tenue non dedignatur; dum hic pyralis incunabuli cineres, recusa iuuentute, mortis victor, vnguibus tenens

Claud. de Phæn.

Destinat aris
Semina, RELLIQVIASQ; sui.

Calami, licet consenescentis, litterarię reliquiæ, mei testes erunt obsequij: sicùt aniculæ triobolaris DVO MINVTA, Hebręo in Gazophylacio, testimonia præstitere acceptæ Religionis. Tibi, & Clientibus æternùm vale.

ETER-

ETERNITA' DI GLORIA CHE
Della presente DIATRIBA si debbe all'Autore.

ODA

Dell'Illustrissimo Sig. Marchese

ORATIO LAMPVGNANI

Gentilhuomo di Camera del Serenissimo Sig. Duca di Parma, e Piacenza &c.

SCRITTA AL P. DOMENICO GAMBERTI.

VOi, che in traccia correte
Sotto a barbaro Sol di margherite.
E d' oro ingordi in infedele abete
Soffio leggier seguite.
Pescherete il valor di vn debol fiore,
Che al primo latte d'Alba in culla muore.

Muore quel, che vi tira
De' Messicani Mondi a' ricchi liti.
Que' rai di ben, ch' indi sgorgar si mira,
Son de 'l Inganno inuiti.
Di vna maliarda Circe ite a le mura.
Vna Furia vi val di Cinosura.

Impennò l' Argonaue
Giaso de l' auree lane a le rapine.
Contra gli vrti del mar l' adunca traue
Pugnò con lieta fine.
Domò l'ire del Ciel, di Re, di Belue.
Spogliò del suo tesor le Martie Selue.

Spar-

Sparsa l' onda del crine
Le Driadi di Colco alzar lamenti.
I Gigli de la fronte in neui Alpine
Paruer da Cloto spènti.
E del biondo Monton tolta la pelle,
Del volto vedouil pianser le Stelle.
Pianser: ma gonfio rise
Con merce sì gentil l'Achiuo legno.
Trombò per l' Istro il nome in mille guise
Del racquistato Regno.
Inchiomata di Allor d'Adria la riua
Si vdì tutta cantar: GIASONE viua!
Empia di Tiro gli ostri
Del Tessalico Trono il germe erede.
Alcide imbrigliator di Stigij Mostri:
Marte onusto di prede:
Gioue de l' Orbe Eoo: Eol de' Venti:
Legislator degli astri ed Elementi!
Entro a frondosi onori
L'Autunno trionfal d' Idume il prenda.
L'inchini 'l Pindo, & il Carmel l'infiori,
L' Ida e 'l Olimpo ascenda.
Ne la fascia Solar del vello preso
Sospenda, vincitor, l'aurato peso!
Bel peso! i'.t' amo e temo;
Istrice pien di stili, o ver di lumi?
Per te d' inclito sangue ebri vedremo
Gir di Tessaglia i Fiumi.
Vomiterà sul possessor tuo Duce
Vn' incendio fatal cotesta luce.

In

In funerea polue
La Reggia se n' andrà, ch' or di te gode.
In lagrime la gioia ecco si solue
Da l' Odio, e da la Frode.
Co' tuoi stami si fan capestri al cuore,
Se fabbricaro pria nerbi a l'Amore.

Del tuo cuoio ogni pelo
Di Rouo micidial sembra vna spina.
Vn capel di Megera, vn' angue, vn telo
D' infernale fucina.
Vn raggio di Cometa, o mortal pira?
Vn' incantato fil di Deianira.

Così l' vman pensiere
Su finta base i suo' Colossi affida.
Quella Sorte maggior, che spera, pere;
Saetta, e par, che rida.
E' calua, le sue chiome in aria sparte,
Qual Gange d' or, nel ventolar con arte.

L' agio e 'l ben, cui concede,
Sol' è di Real fregio vna pittura.
Vn rosaio di nube, il qual si vede
Spuntare in sepoltura.
Vn' Euro agonizante; vn riso anile;
Vn bambol fior di parricida Aprile.

E' vn' erba solstitiale,
Il laberinto di vn lampeggio errante.
Lo splendore di vn vetro e bello e frale;
Vn' Ocean fiottante.
Vn' onda, vn fumo, vn sogno, Eco romita,
Fronda, paglia, respir, bugia di vita.

Se a pietà muoue il tuono,
Che appena nato in Ciel gridando ſpira.
Se cade all'or, che giocoliere il ſuono
Su torte corde gira.
Vn gel de l'Appennin ſe nulla dura,
Che col ſuo lagrimar fa la Natura.

Tal de la Sorte è il Bene:
Voce, fiato, balen, parelio, fiore:
Foglia, ſcintilla, fien, giro di ſcene,
Brina, che in piagner muore.
Spiuma, piuma, vapor, punto, o ver niente;
Vn'ombra, vn'aura, e di Ragione vn'ente.

E pur la mente auara,
E di faſto leggier tumida e altera,
L'Are ſtancar de la Fortuna impara,
Per follie, che ne ſpera.
Scaltra, di man trarle vorrebbe l'amo,
Che peſcò gemmei cerchi al Re di Samo.

Quanti con prode armate
Squarcian l'Egeo e l'Anfitrite Ibera.
Van di Aurora a' Deſerti, o ne l'aurate
Campagne de la Sera!
De l'Artico Cocchier beuono i lampi:
Stampan de' Perſi 'l ſuol, di Battre i campi!

Quanti de l'Indo il letto
Con peregrino piè ſozzan, tremanti!
De l'Acquario a la bit nudano il petto,
E de l'Iadi a' pianti!
De l'Antipode al Ciel brugian profumi,
O bilancian de l'Orſa i freddi lumi!

Quan-

Quanti con ferrei denti
Del Taſo e del Pangeo rompono il dorſo!
A le caue di Sparta, ed agli argenti
Drizzan, di Argira, il corſo!
E per vantar di vn'aurea zolla il pondo,
Dedali volatori, eſcon del mondo!
N'eſcon, ma inermi e ignudi,
Di metallo aſſetati, o di martire?
Berſagli del Deſtin, che a' pinti ſcudi
Non tarpa, o amorza l'ire.
Ricchi di pouertà, ſchiaui Signori,
Perche dati al macel, carchi di fiori.
GAMBERTI, i' veggo aperto,
Senza franger di Nereo 'l chioſtro acquoſo,
Vn teſoro immortal, ch'è cerco e certo,
Da fruire in ripoſo.
La GLORIA intendo: il cui gradito ſprone
Fa ſuenar vite e calpeſtar Corone.
Con due lettere arriua
Un dotto ſtil', e a dominarla ſale.
Mentre di vn doppio ſuon, ſagace, priua
Vna doppia vocale.
Che di vn ſol corpo e ſpirto, ha vn tempo lungo,
E col nome il valor tien di DITTVNGO.
Lettere, vo' ben ſiete
De l'Orbe Mineual maeſtri Poli!
Stampe di Eternità; de l'Onor mete;
Sfere di arguti voli;
Ciſere arcane, al ſuon di cui ſi vede
I Mondi in luce vſcir di vn' Archimede.

In

IN IDEM ARGVMENTVM
ELOGIVM

Illustrissimi Domini D. Marchionis
FRANCISCI MARIÆ PALLAVICINI
Serenifs. Parmæ, ac Placentiæ Ducis
Honorarij Cubicularij.

Et in puluere Sapientiæ FLORES litterati lactantur,
*Verè nomen Auctoris *INSCRIPTI,*
Ac Æternitatis emblema.
Phidiæ vultu non semper Pallades egent,
Vt Sculptoris manus inclarescat.
Operis excellentia, licet elinguis,
Suum testatur Artificem.
Huiusce DIATRIBÆ deliba luminibus ædificium;
Et circinus Architecti constabit.
Quis vnquàm gemini characteris in circulo
Statuenda reputasset
Solidæ Iliadis erudita miracula?
Adeò suos & lapides iactat Eloquentia,
Quorum sicco ex vbere fluenta Eruditionis excudat!
Quidni Soli hæc flosculorũ docta cõgeries moueat inuidiã,
Dum tantà vi luminum scatent,
Argutis acuminibus splendidè radiati?
Profectò non implerent bina DIPHTHONGI vocales
Famæ tubam,
Nisi iusti lege Ostracismi sono imminuerentur;
Qui duplicatur à Theseo, vt Chimæræ proludatur.
Ne solas in Cælorum faces mendacia peregrinarentur,
In litteras Apollinis hic fabellas intrusit.
Verùm illuminauit adolescentes hæc cæca fictio.
**SI NON ERRASSET, FECERAT ILLE MINVS.*

*Virg. Eclog. 3.

*Martial. lib. 1. ep. 21.

DIA-

DIATRIBÆ

PARS I.

DEmùm egregiè Platonici, quin & Peripatetici Sapientes, INVERSÆ ARBORIS appellationem tribuerunt Homini, cuius in capite radices hærent, ſicuti bifurcos in pedum Ramos reliqui corporis abit ædificium. Nam verè mens illa; capitis inquilina, necnon Rectrix, & Princeps radices agere dicẽda eſt, vi quadam ſeminali ingentium germinum genitrices, quæ nunquam ſterilis, & effœta, ſemper nouos partus enititur; dumque putatur à recentium

I Mentis humanæ fertilitas.

pignorum editione quiescere, instar Hydræ spiritualis, vi maiori, & incredibili quadam fertilitate, sobolescit! Ecce facto Veritas comprobata! Obiectas à D.D. Theseo, Anonymi Philogrammatici nomen, ac velamen præseferente, nostris Thesibus Italicis de recta Diphthongi pronunciatione, penes Bartholomæum Solianum Mutinæ impressis, difficultates dum prælorum, non gemitu; sed, vt interpretari fas est, pleno suffragio, ac plausu apud Typographum Andream Cassianum, obnixiùs Mutinę enodaremus, ac euerteremus, emergunt Bononiæ Ferronianis è typis nouitię OBSERVATIONES, ab eodem Authore Philo-grammatico confectę: queis superiùs commemoratas Theses nostras exponit, an implicat? pigmentisque ijs auget, queis fucum facit, labemque candori Veracitatis: in morem Poeticæ texturæ, quę magno verborum, fabellarumque inuolucro, Narrationis historicæ syncecitatem dum palliat, ac tegit; polluit,

&

& extinguit. Ita ſtupenda illa fœcunditas ingenij degenerat in vitium, dum non adeſt Lucina, nempè Veritas, quę partus & effingat & excipiat: & eę Cynicorum lucernæ cæcutiunt, quas alit marcor animi liuidioris, & ad lumen erudit oculata ſimulàtio. Diatribę igitur huiuſce gladio nodos omnes amputare debuimus, & obiecta machinamenta debilitare: ne verboſa hęc eruptio, in nos nuper facta, penes æſtimationem indoctorum nobis nocuiſſe iudicetur; cum potius adeò fuerit imbecilla, & eneruis, vt anſam maioris Palmæ comparandæ ſuffecerit. Et primùm quidem eliciemus ex ANIMADVERSIONIBVS, Regij editis ab ipſo Theſeo (quem ſub Anonymi lacerna obuelatum relinquemus, ne luce impertiamus nolentem) aliquot eiuſdem Propoſitiones, ſiuè Concluſiones; ad hoc, vt de Diphthongi natura quid ipſe ſentiat, nitidè eluceſcat: tùm varios ex nouis OBSERVATIONIBVS, poſtremò Bononiæ ab eo cuſis, Arti-

2 *Præſentis Diatribæ finis, Occaſio & ordo.*

culos expromemus (quos vocabimus Nucleos, quia nobis vi ſtyli, & legitimæ interpretationis contuſione aperiendos, nudandoſque membrana omni dubitationis) in quorum meditullio latet caries, & verrniculorum dentata orexis, ſtrenuè, ac fideliter extrudenda. Interim monemus, malle nos aliquando cum Dialecticis locutione noſtra in Barbariem abire, dummodo neruoſa ſit, ac lacertoſa Argumentatio; quàm nitorem verborum curare ſemper cum Oratoribus: hìc enim non indigemus floſculis, queîs oleamus cum Sybaritis; ſed armis, queis potius Spartanis è caſtris in pugnam prodeamus. Emergant ergo primo loco Propoſitiones, ab Anonymo Philo-grammatico Corrigienſi incluſæ in ANIMADVERSIONIBVS, è Regienſi typographia Proſperi Vedroti primùm vulgatis.

3 Concluſiones Anonymi Antagoniſtæ, quegis oſtēdit ſe duas in ſyllabas diuidere Diphthōgos.

CON-

CONCLVSIO I.

ASserimus Diphthongos quasque, tùm Græcas, tùm Latinas, non secùs ac vulgares Etruscas, si ritè pronuncientur, donandas esse DVOBVS, seu SONIS, seu VOCIBVS. Cum autem AV, & EV apud nos ritè pronuncientur, DVPLICI seu SONO, seu VOCE, præditas esse oportebit.

In Conclusionem I.

NOTÆ.

SImpliciter, & absolutè, contrà Grammaticorum omnium, tùm antiquorum, tùm recentiorum mentem, ac præcepta, duas voces Anonymus, aut duos sonos, dum in Diphthongi pro-

4 Mens Anonymi est, vt Diphthongus ex duplici

Syllaba coalescat.

pronunciatione requirit, sequitur, hærendo eius menti, ità sciungendam vnius vocalis in Diphthongo prolationem ab enunciatione alterius, ac si vtraque vsurparetur extrà Diphthongum. Hoc ipsum clariùs patebit in Conclusionibus, infrà exponendis: sicut id liquidò explicant illi Canones, quos absque vlla restrictione Philogrammaticus admittit: *Ab vtraque* nimirum *vocali vim suam in Diphthongo retineri*; eodemque modo illas loquentis è dentibus extundendas, quo chartę mandantur. Subinfero rursum: Igitur contendit Anonymus, Diphthongum esse per se solidam, integrāq; Dictionem, duabus syllabis compositam: conflatam scilicet ex duabus vocalibus, ità simul cohęrentibus, vt vnaquęq; per se vocem suam reddat; per se subsistat; vti scribitur, sonet. Id licet apertè niteat in significatione, neutiquam obscurà, positæ Conclusionis; clariùsque sit demonstrandum, vti dictum est, in alijs, inferiùs constituendis, tamen robustius

bustius vltrà probatur. Sonum (quoniam de humano, & rationali quæstio hìc est) satis explicabimus, vt reor, exponendo Vocis naturam, cum qua ferè ipse conuertitur. Et porrò ex Boëthio in princ. addit. 2. super lib. Periher: *Vox sonus est, cum quadam imaginatione significandi: factus, ex Aristotile lib. 2. de Anima, percutiendo aerem, inspiratum ad vocalem arteriam, motumque ab anima, quæ est in illis partibus.* Quarè ipsa qualitas sonora, mediante motu vibrationis à corpore percutiente, vel loquente, progenita, dicenda est quasi materia, quam informat intentio, habita à dicente, aliquid, mente conceptum, alteri cõmunicandi. Hinc patet ad hoc, vt aliqua materialis, ac sensibilis enunciatio dicatur verè aut sonus, aut vox rationalis, exigi, vt sit apta per se ad suscipiendum, sustinendumque, licet partialiter solùm, & incompletè, vt plurimum tamen proximè, quin & formaliter, significationis, habitę ab Auctore suo, sigillum: ad quod mu-

5 *Quid sit vox, & Sonus.*

nus si sit incapax, erit vox tantùm remotè, vel originaliter, non absolutè, & formaliter.

6 *Conditio, quā secum trahit Syllabę essētia.* Prætereà notandum est, rationem omnem soni, de quo hic agitur, litterati scilicet, & scaturientis à verbis illis, quæ dicens rationalis articulat, vel scribens papyro committit, ad aliquam certam durationis mensuram illigari, quæ singularem portionem temporis sibi taxat, ac definit. Hinc oritur, vt notat Gabriel Prateolus Part. IV. Gram. pag. 270. duplex methodus, & ratio, qua regi debet loquens, vt ritè voces effingat: Lexiphonia nimirum, & Respiratio; quarum prima *Quantitatem syllabarum, & accentuum monstrat:* altera verò *Dictiones conuenienti morula* (dicendo, vel scribendo) *distinguit.*

7 *Etiam ad Oratorem spectat Lexiphonia.* Neque aliquis iudicet, potissimùm primam ex his legibus, queis manuduci debet verba facturus, vnicè ad narrationem Poetarum coarctari; quorum est commēsurare vocabula, & in certos pedes orationis membra digerere: nam

&

& ad Oratorum pomœria protenditur; quorum eſt, verborum ſonos ritè ponderare, & modò in longum protrahere, modò redigere in breuitatis anguſtias; & quidquid ore promunt, concentu quodam metrico, an cæleſti? religiosè moderari. Idque antiquitùs, quando nempè facultas Oratoria, ſplendidè laureata, triumphabat, adeò ſeuerè obſeruabatur, vt vel etiam minutulo popello comperta eſſet huiuſmodi menſuræ ratio; quarè ſcripſit Aluarus dè Gramm. Inſtit. lib. 3. *Syllabarum omnium breuitas, & longitudo etiam imperitæ multitudini nota fuit: erat enim certus SONVS, quo vocales longas à breuibus nullo negotio ſeparabat. Id, quod Cicero in Oratore apertiſsimè docet: In Verſu quidem, inquit, theatra exclamant, ſi fuerit vna ſyllaba aut breuior, aut longior. Nec verò multitudo pedes nouit, nec numeros tenet: nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendit, intelligit: & tamen omnium longitudinum, & breuitatum in SONIS,*

ſicut

ficut acutarum, grauiumque vocum iudicium ipsa Natura in auribus nostris collocauit. His benè ſtabilitis, vt nodum robuſtè pangamus, perpendamus breuiter, quid ſit ſyllaba.

8 Syllabę definitio. Celebris eſt, & penes omnes probata cũ plauſu, ſyllabæ definitio, quã Epograph. II. affert Ioannes Franciſcus Quintianus, ſcilicet: Eſt *comprehenſio ſub vno accentu, & ſolo ſpiritu*: ſic dicta: *Quòd iunctis litteris, SONVM ſimul accipientibus, informetur, quodque temporis ſit capax*. Chriſtophorus Saxus pag. 8. Gramm. requirit, vt hæc ſocietas litterarum, conficiens vnam ſyllabam, *ſit Indiſtanter prolata*; non interiacente nempè vlla ex morulis ijs, quas præcipit ſuperiùs commemorata Reſpiratio. Et quoniam dubitare quis poſſet, quot tandem litterarum cœtus, & ſocietas requiratur ad Syllabæ compoſitionem, hanc dubitationis caliginem abſtergit Conſtantinus Laſcaris, docens: *ad minimum duarum litterarum* exigi coniunctionem, vt ſyllaba reſul-

tet.

tet. Quarè consequenter deducit hunc Canonem: *Abusiuè & Vocales syllabæ dicuntur*; constat enim Grammaticorum omnium rato testimonio, vnicæ aliquando vocalis scriptione syllabam pari, vt apparet in verbo, EOA, trisyllabo. Nil ferè discrepat ab his Priscianus, cuius in libr. II. reperire est sequentem Syllabæ definitionem: *Syllaba est VOX litteralis, quæ sub vno accentu, & vno spiritu indistanter profertur*. Nil Nicolaus Perottus: nil Emmanuel Aluarus: nil Aldus Manutius, cum plena cæterorum Grammaticæ Reip. Patrum corona. Hinc compertum habemus, syllabam ità ad vnum sonum, vnamque certam temporis mensuram, siuè vnici gradus sit, siuè duplicis, iuxtà eiusdem syllabæ naturam, inseparabiliter arctari, vt eo ipso, quòd ab vnitate fiat transitus ad binarium, statim pereat essentia syllabæ. Id clarè demonstrabitur luce mutuata ex allatis nuper Definitionibus. Syllaba enim vox est complexa, siuè dictio, cui corres-

9 Vnius est soni necessario Syllaba.

respondet regulariter entitas, haud simplex, sed composita: eius tamen tenoris, & conditionis, vt quoniam simul entitas est sonora, debeat sub vno spiritu, & accentu continenter pari, atq; progigni. Alioquin si intersint nonnulla interualla vocis, & temporis, in articulos illam plures dissecantia, eo ipso extinguatur illius vnitas, & per consequens essentia, quæ à pluralitate, etiam Naturæ, nedum Artis ingenio, summopere abhorret.

10 *Probatio petita ab vnitate Formæ, & Compositi naturalis*

Probatur id vlterius: nam Stoa, iuxtà præmissa, vult à SONO, in morem animæ, syllabæ litteras INFORMARI; sicuti Prateolus lib. I. pag. 6. monet, litteras ipsas dici *Elementa, quasi prima orationis principia: quòd vt ex terra, aqua, aere, igne corpus conflatur, ita ex litteris syllabæ, dictionesque constent*. Quis autem formam quanlibet esse nesciat, vbi materia informanda cudi non debeat in Chimeram, & conficere hircoceruos, vi legum, quas proba Metaphysica statuit, in ratione

for-

formæ completæ, & talis principij, indiuisibilem: vti suo modo indiuisibilis est essentia Mixtorum, quæ coalescunt ex Elementis?

Probatur postremò ratione, satis neruosa, & manifesta, quam idem Stoa nobis sufficit Epograph. 2. cap. 2. Dixerat hic litteras *suum habere elementum*; quod habet & syllaba: vtque confusionis, & erroris ansa iunioribus præcideretur, quærit postea, in quo differat vtrunque hoc Elementum, tali pacto demùm concludens: *Sed inter litterarum Elementum, & syllabarum, hoc distat; quòd litterarum Elementa sunt ipsæ pronunciationes, syllabarum verò sunt productiones* (productionem enim superiùs affirmauerat à Prisciano appellari syllabæ Elementum) *ipsæ*. Proptereà dum eiusdem syllabę explicaret etymon, ipsum scripsisse memini, sic denominari: *Quòd temporis sit capax*; proprietas sanè, singulis litteris negata. Verùm enimuerò ex dictis, vt magis vis pateat argumenti, hoc discri-

11 *Discrimē inter Syllabas, & litteras.*

cri-

crimen altiùs exponamus. Docuimus, hærentes menti Grammaticorum, syllabæ essentiam mensuræ temporis, vel vnius gradus, vel geminati, adnecti: nimirùm, vel esse breuem, vel longam: ita vt sit entitas, secundùm sui constitutionem, sonora, vocalisque, & accommoda, vt significationem loquentis, scribentisue in animo genitam, luci concedat, & audienti, vel legenti communicet. Hoc benè intellecto, sequitur aperta expositio discriminis, à Stoa, & Prisciano in medium allati. Docent enim, Litteras quidem per se, aliquo tandem pacto, esse pronunciabiles, saltem aptitudinaliter, & inchoatiuè, vti sunt singulæ Consonantes, quę solum sunt aptæ ad hoc, vt vocalibus associatæ, ritè, & intelligibili sono è labijs erumpant: vel esse particulas, quasi atomos, ex se imperfectas, ens sonorum, nempè vocabulum, conficientes: non tamen per se tales esse, vt dici possint SONVS intelligibilis, & ad aliquam significationem loquentis expri-

12 Discrimẽ allatũ altius explicatur.

pri-

primendam, non solùm inchoatiuè, vel potentialiter, sed formaliter, saltem incompletè, idoneus; nempè cum temporis aliqua extensione formali, breui, vel longa, copulatus. Hoc enim solum pertinet ad syllabam, quæ dicitur ipsa PRODVCTIO iuxtà Priscianum; scilicet aliqua temporis extensio, vel iuxtà Stoam capacitas: minima, si syllaba corripiatur: maior verò, si longetur.

Hinc euidenter deducere licet, & vnicum, non vero duplicem absolutè, ac simpliciter, esse SONVM, quo pollet syllaba; & ita vnicum, vt nulla neque sectione, neque morula, neque spirituum, accentuumue multiplicitate sit in plures separabilis: adeo vt si huiuscemodi dissectio fiat, & separatio, hoc ipso pereat vnitas syllabæ; totidemque in syllabulas ramosa quadam genitura crescat, quot in morulas, articulos, & particulas accentus ipsius, & consonantia discriminatur. Neque obstat, quòd syllaba, quæ producitur, siuè

13 Impossibile est, vt duplici ex sono constet vna syllaba.

ſiuè longatur, duo tempora contineat; ac propterea duo velut internodia, ſiuè interualla, inuicem ſeiuncta, complectatur, ex quibus re ipſa coaleſcat. Nam nulla debet vel ſoni, vel accentus mora, & diſiunctione tale temporum binarium diuidi: ſicuti quantitas bipalmaris tàm eſt vna ſecundùm ſe, & eſſentialiter indiuiſibilis, quàm eſt ipſa palmaris.

14 *Concluſio II. quæ demõſtratur Anonymi ſententiam de duplicitate ſyllabæ in Diphthõgo.*

Hinc indubitanter conſtat, Anonymum Philo-grammaticum, dùm in Concluſione I. DVOS abſolutè, ac ſimpliciter SONOS admittit in Diphthongo, duas in ſyllabas Diphthongum ipſam partiri: quod magis dilucidè apparebit in Concluſione ſequenti, ex eiuſdem Anonymi ſcriptis eruta.

CON-

CONCLVSIO II.

D*Iphthongus Etrusca rectè definitur à Iacobo Pergameno, ab optimis quibusque in Linguæ præceptis plurimi semper habito: Non è altro il Diftongo, che la congiuntione di due vocali, rimanente ciascuna nella sua forza di vocale, senza mutarsi in Consonante: il quale in nostra lingua è di cinque maniere: in AE, come in AERE: in EO, in EOLO &c.*

In

In Conclusionem II.

NOTÆ.

25 Error manifestus Pergameni de Diphthongo Italica.

QVòd Iacobus Pergamenus, vir, cuius nomen, & fama penès Doctos cum laude coniungitur, vel falsò putarit in Diphthongo Etruscâ duas vocales, simul iunctas, item duas conficere syllabas; vel errarit in exemplis allatis, & ab Anonymo commendatis, res est facilis demonstratu. Sic enim habet in Etruscę Linguę Vocabulario idem Auctor, quòd oculatè notauit & Ricciolius Num. VIII. *AERE, aira, & aria: il primo, e il terzo è comunemente vsato: il secondo di rado, & in Patria mia è voce del Volgo. Il primo si truoua in genere maschile, e femminile: il secōdo parimente: l'vltimo in femminile solamente. E' VOCE DI TRE SILLABE, &c.* Igitur iuxtà mentem ipsius Pergameni vel binæ vocales, quæ sunt in Diphthon-

thongo, duas conflant ſyllabas: vel palmariter errauit, dum in exemplum Diphthongi Etruſcæ produxit in medium voces iſtas AERE, & EOLO. Probatur Conſequẽtia quo ad primũ. Vox iſta AERE, iuxtà confeſſionem ipſius, eſt vox triſyllaba: ablatis binis vocalibus, Diphthongum, vt ille loquitur, componentibus, vnica ſupereſt ſyllaba. Ergò reliquas duas, ternarium triſyllabi complentes, ſolæ binæ vocales Diphthongi conficiunt. Ergò ex mente Pergameni ſingulę vocales diphthongales vel ſingulas efficiunt ſyllabas; vel allatis in exemplis allucinatus eſt. Idem probat Ricciolius eodem Num. VIII. de voce EOLO. Neque verò nobis obijciant Pergameni, & Anonymi Propugnatores, ac Patroni; binas aliquando in ſyllabas apud Poetas Italicos vtrunque vocabulum AERE, & EOLO, contrahi. Nàm & hoc fit beneficio Synęreſis, & hoc ipſum deſtruit eſſentiam Diphthongi; vt præ cęteris nobis firmam fidem facit teſtimo-

nium illud Sfortiæ Cardinalis Pallauicini, alià quidem vice productum, ſed hìc adeò benè cadens, & congruens, vt iure, meritòque ſit repetendum. *Per queſto nome* (inquit ille num. 67. pag. 44.) *DITTONGO, intendiamo due vocali, che neceſſariamente facciano VNA SOLA SILLABA, SENZA POTERSI SCIOGLIERE IN DVE. Per eſſempio GIO di Regio non è Dittongo, peroche l'I, e l'O deriuando da due ſillabe Latine GIO, traſportate ſenza veruna variazione nella voce Italiana, poſſono anche in queſta pronunziarſi come due ſillabe; il che appare nel fine de' verſi ſdruccioli (*obſerua, quòd hic loquitur etiam de Poeſi) *e lo ſteſſo dico in GIO di Regione, in RIA di Gloria, e ſimiglianti. Ma CHIA di Chiaro; PIE di Pieno; BVO di Buono; FIE di Fiero ſono Dittongi, eſſendo incapaci di formar giammai due ſillabe.* Hoc Canone Doctor Eminētiſſimus, fortè nimis preſsè, vt vidimus, ad indiuiſibilitatem vnius ſyllabæ ità redegit Diphthongi voca-

16 *E' di eſſenza del Dittongo l'indiuiſibilità di vna ſola ſillaba.*

vocales, ſimul aſſociatas, vt hoc ipſo, quòd poſſint legitimè à Poeta diſſociari, characterem quendam præſeferant, qui illas exterminet à Diphthongi natura. Quarè ſi Pergamenus voces pariter *EVROPA*, & *AVRORA* ab Tuſcis enunciari contendit eo pacto, & ea vocalium diſcriminatione mutua, qua pronunciantur ab ijſdem voces *EOLO*, & *AERE*, in eundem ſanè ſcopulum impingetur procul dubio, in quem ruit abſurdè noſter Corrigienſis Anonymus. Hic enim cæco ſub ſidere manuductus ab Æolo, & Aere, putauit ità diſiunctim vocales AV, & EV commemoratis in vocibus AVRORA, & EVROPA Etruſcorum ab ore noſtrà hac ætate prorumpere, ac ſi pronunciarent AITA, & AIRA, verba ambo triſyllaba, vt eſſe demonſtrauimus voces ambas AERE, & EOLO. Qua opinione, vti P. Dominico Gamberto candidè, & amicè narrauit Illuſtriſſimus Dynaſta, omni fide, & laude digniſſimus, miſer Philo-grammaticus

17 *An Etruſci diſtinguant inuicē duas primas vocales in verbis Europa, & Aurora.*

 ticus

ticus lepidiuſculè riſum , an peregrinâ nouitate ſtuporem ! excitauit in homine docto , linguamque Italicam apprimè callente , quia domo Etruſco : qui vnicam in ſyllabam ità à conciuibus ſuis ſemper audierat ambas Diphthongi vocales in verbis *AVRORA* , & *EVROPA* nodari , nectique , vt exotica planè barbaries ei videretur, eaſdem nunc intelligere carnificina quadam inhumana , & Longobardica, exenteratas, ac diſſectas. Ratio autem , quarè vox *AERE* penès Italos ſit triſſyllaba, & immunis à Diphthongo , eſt : quia deprompta fuit è Græcorum Lexicis, nulla facta mutatione in illa litterarum cõpage, queis ibi conſtat; quemadmodum notare datur ſexcentis alijs in vocabulis , eodem prorſus modo , quo iacebant antiquitùs apud Græcos, & deinde Latinos, Italicæ nationis in ore ſolemnibus. Nullus enim eſt, qui leuiter in re Græcâ verſatus neſciat , dictionem ἀὴρ, per Ita , non verò Iota in Græcia ſcriptilẽ , eſſe neceſſariò diſſyllabam

18 *Cur voces Aere, & Eolo careant Diphthongo.*

labam in Recto, atque trisyllabam casibus in obliquis; ac propterea carere Diphthongo: vocem autem αἰολος diphthongari quidem penès Græcos, & Latinos prima in syllaba Æ; sed omninò ab ista syllaba diphthongata seiungi vocalem, iuxtà sequentem, O, secundam syllabam per se conficientem. Cum autem pereat apud Italos tàm in scriptione, quàm in pronunciatione prima vocalis A, vnà cum, E diphthongum penès Græcos, Latinosq; quemadmodum diximus, progignẽte, etiam penès Etruscos huiusmodi in vocabulo extinguitur Diphthongi ratio; vnaque syllaba per se à prima vocali E, quæ successit loco duarum vocalium, Æ; altera verò syllaba à vocali O, iuxtà hęrente, disiunctim, & successiuè formatur, Verùm progrediamur vlteriùs, & nouæ probationis loco sit nobis eiusdem Philo-grammatici

19 *Cõclusio III. Anonymi Philo-grãmatici, qua duas in syllabas adhuc Diphthongũ partitur.*

CONCLVSIO III.

Nobis ſatis conſtat voces Conſpirationis, Conglutinationis, & Miſturæ, à Ricciolio, aliĳsque Grammaticorum Legiſlatoribus vſurpatas metaphoricè, & impropriè, nil aliud ſignificare, quàm copulationem, ſiuè coniunctionem vocalium, VIM SVAM SERVANTIVM.

In Concluſionem III.

NOTÆ.

20

Quid ſibi velit Anonymus, dũ Vocales Diphthongi

Istius Concluſionis ſenſus minùs clarè pateret nobis, niſi à ſuperioribus fax, & lumen preferretur. Vult itaque hìc Anonymus veriùs vocales Diphthongi dicendas, mutuò Contiguas, quàm

Con-

Continuatas: ſiuè potiùs iuxtà ſe poſitas, quàm ſimul iunctas. Propterea Conſpirationem illam, ſiuè Contractionem, ſiuè Comprehenſionem, ſiuè Complexionem, ſiuè Conglutinationem, qua Deſpauterius, Nebriſſenſis, Voſſius, Perottus, Terentianus, Verrepæus, Stoa, Cauallus, Fabrinus, Prateolus, Manutius, Guarinus, Mancinellus, Calepinus, & Ricciolius duarum vocalium ſocietatem in Diphthongis explicuerunt, docet abuſiuè ſumi, nec non metaphoricè: ità vt nihil in ſingulĩs earundem vocalium, in tali vinculo, ac nexu, deperdatur, aut immutetur, cum ambæ vim priſtinam abſolutè conſeruent, eundemque numerum, necnon ſonum, cum certa temporis menſura, vt vidimus, illigatum, quem inuicem ſciunctæ, ac ſeparatæ præſeferunt. Vt vera tamen fatear, non ſatis apertè mihi datur mentem peruadere Philo-grammatici. Quemadmodum enim inferiùs ſuppeditabitur anſa id rurſùm commemorandi, in Artic.II. §. II.

affirmat eſſe abuſiuè ſimul iũctas

21 *Secum ipſe pugnat Anonymus.*

II. Obſeruationum, ab ipſo Bononiæ nuper editarum, loquens de ea vocalium copulatione, quam hìc appellat impropriam, & allegoricam, hæc habet: *Se parlando della Conglutinatione, che nel §. VIII. Art. II. chiamate formale, v'intendeste di quella preciſa REALITÀ, o QVALITÀ MODALE, ſecondo la quale i due SVONI vengono detti conglutinati, veramente per vdirla ſi richiederebbero orecchie metafiſiche. Se per Conglutinatione poi intendete le vocali conglutinate, &c.* Cuius vi præſtigiatoris quæsò in ens modale, ac reale, tâm breui temporis ſpatio, commutata eſt vnio, Inſtitutorum locutionis humanæ ab arbitrio extrinſeco pendens, quæ nuper abuſiuè ſumpta, inter copulas merè metaphoricas, aſperè damnabatur? Quis Deucalion hunc ſilicem recudit in hominem: hanc laruam in Mercurium: huiuſce ſomnij lituras in Veritatis exemplar? Sed de hoc in Nucleis aliàs. Figamus igitur pedem, ſtylumque in ea coniunctione abu-

22 Explicatio

abuſiua, quam adeò imbecillam, eneruemque ſibi fingit Anonymus, vt ambæ Diphthongi vocales, ſuis cum ſonis ſolum̃odo iuxtà collocatæ, nec eo vinculo iunctæ, quo non artifex characterum cupri fuſura ſimul ambas in vnum miſcet; ſed loquens ſono vno mixto, quaſi catenulis Herculis Celtici, dicentis ex ore prodeuntibus, vincit, & compedit, vim priſtinam retineant, qua præditæ erant, ſeiunctæ: & ità pronuncientur vocales A, & V in *Aut*, *Ceu*, *Seu*, & *Haud*, quo pronunciantur A, & O in AONES, & AONIVS; A, & E in *Aer*, & *Aereus*; E, & O in *Eos*, & *Eous*; O, & I in *Oileus* & *Oilides*; I, & E (ſaltèm apud Grę cos, ſi minùs penes Hebræos) in ſalutari vocabulo *IESVS*. Id, vt videbimus ſuo loco, licet Philo-grammaticus, vt potè vir ingenuus, ac ſyncerus in poſtremis ſuis Obſeruationibus candidè retractet: tamen & iuxtà ſignificationem hìc adhibitæ phraſeos; & iuxtà ſeriem ſuperius dictorum; & iuxtà tenorem poſtremæ Concluſionis, quam huic

vberior iũctu- ræ abu- ſiuæ, quam admit- tit A- nonym.

23

Vera o- pinio quam primò imbibit Anony mus.

Diſſer-

Dissertationi infrà accudemus, fit manifestum, compertumque: Verè primum phantasma, menti, oculisque ipsius obiectum, talem fuisse pronunciationem vocalium, Diphthongos conficientium; vt, cum semper remaneant vocales, nec in speciẽ degenerent Consonantium, siuè sociatæ sint simul, siuè sint mutuò disiunctæ: hoc est, siuè diphthongentur voces, siue non diphthongentur, propterea pari modo vtrobique pronunciandas, cum vtrobique sint eadem entitas, eademque species litterarum, nullam vtrobique mutationem secum trahens, cum neutro in loco personam induant alienam, aut in rem novitiam refingantur. Verùm quàm incongrua, & inconcinna sit isthæc explicatio, & à vero deflectens, licet alibì sit fusiùs exponendum, tamen hìc leuiter aliqua delibemus, vt pateat manifestè: nàm pluriès congeminari possunt ictus ijdem, quando lacessit vnus hostis multotiès ad idem certamen.

24 Artic.

Profectò Ioannes Despauterius, do-

cens

cens eius nodi texturam, quo deſiderant in Diphthongis vocales ſimul iungi, ait, agens de Ortograph. pag. 2. *VNIRI debent litteræ, & quodammodo COAGVLARI; quod vbi minùs ſit, Diphthongus non eſt: vt Phaethon, Paſiphae, Danae*. Idem obſeruat cap. 6. Quintianus Stoa, carpens Tortellij errores, qui in voces huiuſmodi Diphthongon intrudebat: hoc eſt, ità vocales AE ſimul arctè copulabat, ea ſcilicet vnione coniungens, à Philo-grammatico non perſpecta, & à Grammaticæ rei magiſtris in Diphthongis expetita, vt vocabulum, iacens in medio, tres in ſyllabas redigeret, reliqua verò in duas; cum tamen hæc verè ſint triſyllaba, illud vero quadriſyllabum. Quin cap. 8. falſa dogmata eiuſdem Auctoris euentilans, Ouidianum illud carmen Pont. III. affert in medium

Notus humo merſis Amphiaraus equis,

ſubditque: *Vbi, ſi legas Amphiaraus cum Diphthongo, vt præcipit Tortellius, ſcandi non poteſt verſus*. Iam quæsò iuxtà

Sim' nodus, quē Vocales inter Diphthōgi præcipiūt Grammatici.

Ex dic-

tis ro- bustè ar- gumē- tamur.

iuxtà ponamus duas has voces *Amphiaraus*, & *Aut*; ità tamen, vt præcisis tribus prioribus syllabis in præcedenti, solùm vltimas R A V S, sedato animo, cum voce posteriori conferamus. Si vocales A, & V in *particula* A V T ea temporis explicatione, & exporrecto labiorum, vocisque modulo enuncientur, eamque vim natiuam retineant, quam habent extrà Diphthongon, & in dissyllaba, mutilaq; voce RAVS; quodnam meditari licet discrimen inter vtranque? Quomodo poterit erroris argui Tortellius, secundam ex his vocibus coangustans, atq; ità comprimens, vt Diphthongus gigneretur, ac proinde non posset pes metricus elaborari, ad cuius opificium sonus explicatus, ac patulus vtriusque vocalis A, & V necessariò requiritur? Ergò si in Diphthongis AV, & EV illud vocalium COAGVLVM fieri non potest, quod in Diphthongis AE, & OE præcipit Despauterius, saltem debita cum proportione id fiat: ità vt conci-

so,

ſo, & coanguſtato vtriuſque vocalis ſono, & accentu, compoſitio vocalium, noduſque ille ſentiatur, qui interiacet inter ambas, vnico hoc ſono, vt cum Stoa loquar, INFORMATAS; vniuſque Compoſiti rationem, reduplicatiuè, vt vnitas, exequentes, quæ reſultare ſolet locata inter animam, & corpus modali vnionis entitate. Hinc Gabriel Prateolus de Orthograph. Part. I. cum præcepiſſet, vtranque in Diphthongis etiam Æ, & OE, iuxtà Veterum morem, vocalem pronunciandam, addidit: *Remiſsiùs tamen, & obſcuriùs priorem*; hoc enim exigit illa temperies, quam inter plura membra, ſimul iuncta, parit compoſitio. Hæc quidem, abſque quo eorundem membrorum deſtruatur eſſentia, aliquam minimam varietatem poteſt inducere; & ità verè noſtro in caſu vocalis vtriuſque, ſimul aſſociatæ, natiuum ſonum frangit, ac hebetat, vt tertius neſcio quis ſonus oboriatur, à priſtinis, inuicem diſiunctis, valdè diſcrepans. Sed quarta, & poſtrema

26 *Probatur hęc iunctura neruoſius.*

27 *Vltima*

Conclusio Anonymi quæ manifestè aperit eius mentem de Diphthongo, quam vult dissyllabã

strema Anonymi Philo-grammatici Conclusio vniuersa mentis eiusdem penetralia, de hac syllabarum duplicitate, quam inuehit in Diphthongos, penitùs aperiet.

CONCLVSIO IV.

CVm V tàm in Utinam, quàm in Aut sit vocalis; & nullius vocalis Latinæ, quà vocalis est, diuersus rictu sonus, quòd à nobis sciatur, fuerit obseruatus, quomodo potest asseri alium hìc, alium ibi, habere sonum?

In Conclusionem IV.

NOTÆ.

28 Aperta mens

HIc verè totum se effundit, suæque opinionis viscera enudat Anony-

Anonymus. Dùm enim vocalem V in AVT neutiquam ab V in VTINAM dissidere demonstrat; ergò euidenter existimat, sonos vocalium in Diphthongis ità esse geminandos, vt duplex indè syllaba conficiatur. Probatur facta illatio; & in hac, & superioribus in Conclusionibus ab eodem Anonymo asserta, sequentem in syllogismum aceruatim congerendo.

grammatici.

29 *Syllogismus euincēs id, quod ab Aduersarijs huc vsq; & congesta Argumēta extorquere conātur.*

I. Voces omnes eæ, quarum in compage, & textura vocales plures iuxtà se positæ, & ita impropriè simùl iunctæ, vt singulæ vim suam natiuam retinentes generis eiusdem sint, & soni, cuius sunt vocales AE in AERE, & EO in EOLO penès Etruscos; vel apud Latinos vocalis V in aduerbio VTINAM, totidem geminare dicuntur syllabas, quot geminant sonos, à vocalibus ijsdem promanantes.

II. Sed in particulis AVT, HAVD, CEV, & SEV vocales A, & V; nec non rursùs E, & V, iuxtà Canones Anonymi, abusiuè tantùm simul socia-

tæ, & iunctæ, habent duos ſonos, quales habent vocales A E, & OE, penès Tuſcos in duobus verbis AERE, & EOLO: & vocalis V penès Latinos, in aduerbio VTINAM.

III. Ergò ſequitur, in particulis diphthongatis AVT, HAVD, CEV, & SEV, iuxtà mentem Anonymi, duas ſyllabas dari.

30 *Confirmantur ſinguli Syllogiſmi Propoſitiones.*

Prima Propoſitio, quæ vniuerſalis eſt, & thetica, huc vſque probata eſt, & denuò compendiosè probatur. Nàm vna ex parte verum eſt, omnium votis Grammaticorum, vnicam vocalem per ſe vim habere conficiendi vnam ſyllabam (licet penès aliquos talis ſyllaba minùs preſsè, & religiosè ſyllaba vocetur, quæſtione parùm ſolida, cùm ſit merè de nomine) ex alia verò nullo in verbo poteſt excogitari vocalis, magis apta, & idonea ad huiuſmodi ſyllabæ formationem, quàm ſint vocales A, E, & O in Etruſcis vocibus AERE, & EOLO: ſiuè vocalis V in Latinis aduerbijs VBIQVE, VTILITER,

TER, VTINAM: his enim in vocabulis ſono integro, ſimplici, & completo pollent vocales, & omninò tali, qualis requiritur ad opus ſyllabicum elaborandum; in quo, excluſa omni morula, & Reſpirationis interuallo, ſub vno ſpiritu, & accentu fieri debet enunciatio. Hinc ſequitur manifeſtè ſecundæ probatio Propoſitionis, quæ ſecum trahit & Illationis, quæ includitur in tertia, & poſtrema, veritatem. In particulis AVT, HAVD, CEV, & SEV, hærendo ſententiæ Corrigienſis Anonymi, vocales A, V, & E nullo modo dicendum frangendas, aut retundendas iuxtà Vallam, cęteroſque optimi iudicis huius aſſeclas: ſed eàdem vi pollere, & eodem ſono, quo prędite ſunt ſuprà commemoratæ vocales, in vocibus AERE, & EOLO, VBIQVE, VTILITER, VTINAM. Igitur concludamus, quãdò in his vocales ſingulæ ſingulas effingunt ſyllabas, & effingere in illis, nimirùm in particulis AVT, HAVD, CEV, & SEV, ſuprà recenſitis.

 Ad-

31 *Obiectio 1. quę obstrudi nobis potest ab Anonymo.*

Adhuc tamen duæ, vt omne Philo-grammatico præcidatur effugium, supersunt obstruendæ viæ, per quas ex angustijs ipsi fortasse liceret elabi, aut saltem securitatem euadendo pertentare. Prima est: Sibi propitium iactans ille P. Ricciolium (& idem extendo ad Trochaica Terentiani Mauri, & testimoniũ Calepini, in quibus vigorem habet eadem difficultas, & solutio) ipsius definitionem profert, qua Diphthongus dicitur esse duarum diuersæ speciei vocalium in vnam mixti, vel duplicis ex parte soni, syllabam conspiratio. Ergò posset vrgere contrà nos: Vnam ego syllabam, vt videre hìc est, in Diphthongo mihi fingo, non verò duplicem. Sed attẽtè si perlegantur Animaduersiones ipsius Anonymi, primùm Regij editæ, hoc velamen, ac tegumentum commentitium esse clarissimè deprehendetur. Nusquàm enim vniuersa earundem Animaduersionum in textura mentio nitida syllabæ vnius in Diphthongo (licet hanc

iactet

iactet ore tenùs mediam inter dissyllabum, & monophthongon viam) ab ipso facta reperietur: quarè dicendum euidenter est, testimonium hoc P. Ricciolij ab eo productum esse, non ratione habita vniùs syllabæ, sed mixti, & ex parte duplicis soni, quem ex vtraque vocali, Diphthongum conflante, Doctor acutissimus scaturire docet. Quamobrem non est cur dicat, duos se sonos in vna syllaba mancipare, iuxtà mentem Ricciolij.

32 *Penitus euertitur.*

Nam I. nobiscum penitùs conueniret, & ità cessaret occasio, tot tempestates, verè in olla, suscitandi. In idem enim cadunt, vel duo soni partiales, in vnica syllaba coaliti, & foederati: vel vnus sonus, ex duobus incompletis mistus, & in vna syllaba pariter alligatus. Quarè nostram ad sententiam palàm pedibus accederet Anonymus, licet diuersà explicatione vti videretur; quandò vnitatem syllabæ, præscriptã à Ricciolio, cæterisque salis eiusdẽ Doctoribus, cũ duplicitate soni retusà,

 fractàq;

fractàq; componere niteretur: nàm, vti dictum est, & nos in vnius syllabę angustias duos virtualiter sonos, vel vnum ex duobus retusis, fractisque conflatum, constanter, & nullà vnquam facta retractatione, redegimus semper, redigimusque. II. Ex allata nuper ratione secùs id patet. III. Secum ipse contenderet, duo inuicem sibi contradicentia temerè affirmando: quod eueniret profectò, si, & vnicam syllabam ore tenùs admitteret in Diphthongo, & duas re ipsa: eas scilicet Propositiones promendo, & propugnando, quas huc vsque ponderauimus, duarum syllabarum essentiam omninò inferentes. IV. Se malè cognoscere spontè fateretur vim vocum, rerumque, de quibus ipse disceptat: dùm ea, quæ simùl pugnant, confusè permisceret; vocalisque sonum, qui per se syllabam conficit, intruderet in eandem vocalem, quandò ab alia vocali socia eas ad catenas redacta esset, vt ab syllabę formatione, solidę, integræ-

que,

que, arceretur.

Hoc euerſo aſylo, & ſecunda obſtruitur via, qua Phylo-grammatico parere poſſit effugium. Negans hic diuerſitatem vis, & naturę vocali V, quando includitur in particula AVT, ab ea, qua pollet in aduerbio VTINAM, addit hęc verba: *Non eſt opus ſoni diuerſitate, ſed contractione, ſiuè coanguſtatione, & compreſsione quadam vocalium, ità vt ambæ vocales vnica vocis contentione proferantur.* Igitur, inquiet, non duas; ſed vnicam ſyllabam hìc mente concipio, dum duos ſonos ore prędico. Probatur id: nàm vnicę vocis contentioni ſyllabę reſpondet vnitas. Verùm primò militant hìc eadem prorſus argumenta, quorum vi, ac neruo ſuperiori occurrimus difficultati: adeò enim dilucidè ſecùs ſe ſentire oſtendit vniuerſo ſuarum Animaduerſionum in decurſu Philo-grammaticus, vt hic panni palmus tegere nequeat, quem totum nudat pręcedens oratio; & fruſtrà portum ſperet digitali hac in

33 *Obiectio II. cui abundè ſatisfit.*

K 4 foſſu-

fossula, quandò iam furor Oceani obruit nauim, vbique rimis plenam, damnatamque naufragio.

34 *In quo differat à Syllaba Dictio.* Secundò maturè perpendamus, an verè à duplici syllabà in Diphthongo Anonymum fateatur alienum iactata hęc Propositio: *Vt ambæ Vocales vnica vocis contentione proferantur.* Syllabæ vnius ad essentiam Num. 8. requiri affirmauimus, iuxtà mentem illorum, qui Solones audiunt inter Grammaticos, eiusmodi litterarum societatem, quæ sub vno & accentu, & spiritu in enunciatione comprehendantur, & arctentur. Definiamus modò & *Dictionem*, sedulòque pensemus discrimen intercedens inter hanc, syllabamque; vt certiùs, & nitidiùs elucescat, Anonymusque nobis herbam porrigere luce palàm compellatur. Accepta est apud omnes Grammaticæ rei censores, ac iudices, ac potissimum penès Stoam, & Perottum, dictionis descriptio, quam Priscianus Cęsariensis affert lib. 2. pag. nobis 15: *Dictio est minima pars ora-*

tionis

tionis constructæ, idest in ordine composita; ac eatenùs *Partem* se illam vocare profitetur, quatenùs hìc respectiuè consideratur in ordine ad totum probè cognoscendum: *idest ad totius sensus intellectum*, cùm membrum secundùm se sit relatiuum, scilicet à loquente, vel scribente ordinatum ad completæ sententiæ, in mente conceptæ, editionem, partumque. Verùm hac ipsa explicatione minimè contentus sapiens Præceptor, procedit vlteriùs, & discrimen excogitat, nec non docet, hìc à nobis apprimè expetitum, inter eandem dictionem, syllabamque; ne quis Zoilus, aut Momus retorto naso vni, eidemque definitioni, ab ipso nuper allatæ, & ad solam dictionem protensæ, subijci & syllabam posse iactaret: prima enim fronte videtur & syllaba dici posse, *Pars minima orationis constructæ, ordinata ad totius intellectionem*. Quamobrem subdit: *Differt autem dictio à syllaba, non solùm, quòd syllaba pars est dictionis; sed etiam, quòd dictio di-*

cen-

cendum, hoc est, intelligendum aliquid habet; Syllaba verò NON OMNI MODO aliquid significat per se, &c.

35 *Explicatur magis discrimen, inter syllabā & Dictionē intercedens.*

Ad planam huiusce discriminis expositionem repetantur memoria, quæ suprà diximus Num. 5. de sono, vbi juxtà præcepta Boethij, ad huius vim, quo vnicè, & absolutè pollere possunt syllabæ, ac dictiones (litteræ enim, si loqui placet vniuersaliter, & præscindendo a vocalibus, quæ secundùm se aliquo sono gaudent, & syllabam abusiuè singulę conficiunt, vt vidimus alias, huiusmodi dotem solùm obtinent remotè, & inchoatiuè) requisita est à nobis capacitas ea in obiecto sonoro, qua (saltèm partialis, & incompleta) proxima, & formalis significatio possit à mente loquentis, & pronunciantis, ad audientis aures, animumque traduci. Quoniam licet syllaba de se non sit OMNI MODO, vt Priscianus obseruat, hoc est perfectè, & totaliter idonea ad hoc, vt sit vehiculum talis significationis, tamèn habet eam partialem

aptitu-

aptitudinem, qua dici possit ad id proximè accommoda, ità vt sola desit additio vnius, aut alterius syllabæ ad hoc, vt in ordine ad suum finem perficiatur. Et hac facta porrò additione gignitur dictio: quæ licet adhuc per se solidam, integramque loquentis sententiam minimè sustinere possit, exprimere, & complecti, tamen eam tenet huiusce portionem, quæ sufficit ad aliquid significandum.

36 *Quid syllabę, Accentus, ac Spiritus iuxtà Grāmaticos*

Hac præmissa, necnon stabilita veritate, candidè ponderemus, an definitio syllabæ congruat Dictioni; cùm iam viderimus vice versa definitionem Dictionis haud syllabæ aptari. Verùm aliquantulùm recto ab itinere priùs hic decedere compellimur; nam cùm docuerimus syllabam *Esse Comprehensionem plurium litterarum sub vno accentu, & vno spiritu*, votum assequi minimè licet nobis, nisi priùs perpendamus, quid accentus, ac spiritus nomine, penès Grammaticæ Legislatores, intelligatur. Ex sexcentis deligam Gabrie-

brielem Prateolum, qui mira cùm verborum claritate acutissimam ingenij aciem hac in quæstione coniungit. Hic Parte IV. Gramm. agens de Lexiphonia, definit Accentum, siue Tonum: *Certam, & legitimam pronunciandi rationem.* Spiritus verò, Græcis πνεῦμα à πνέω, idest spiro, quanuis multipliciter à Theologis, atque Philosophis, tùm presse, tùm latè sumatur, accommodè tamen ad nostram disceptationem à Tullio in lib. de Nat. Deor. pro *halitu* vsurpatur, *quo vnà cùm cibo, & potu animantium vita sustentatur.* Si quis autem altiùs peruadere optaret spirituum discrimina, & naturas consulat D. Thomam I. Part. q. 4. art. 3. & I. senten. distinct. 12. q. 4.

37 *Munus Accentus, ac Spiritus in Oratione.*

Igitur Accentus nos docet regulas vocem temperandi, scilicet nùnc eleuandi, nùnc deprimendi, dùm enunciatur Oratio. Spiritus autem suppeditat mensuras, & terminos, passim gradatos, hoc est in plura morularum interualla, vel commatum concisos, intrà

quos

quos hæc debet ab enunciante constringi. Quamobrem vt subiectæ nobis materiei istos Canones accommodemus: syllabæ vis, & essentia deposcit, vt litteræ, ipsam componentes, vnum tonum habeant, nempè vnicam notam, qua vox vel deprimi debeat, aut extolli: vnicoque halitus fluxu vniuersæ dicentis è labijs erumpant. Quòd autem è contrario Dictio plures distinguatur in tonos, aut accentus, velut articulos, nodosuè (qui totidem sunt, quot illa digeritur in syllabas) audiatur Prateolus pag. 271. Part. IV. *Quotquot*, inquit ille, *syllabæ sunt in dictione, vna tantùm attollitur; idest, vt nunc accipimus, acuto, aut circumflexo accentu effertur: RELIQVÆ verò omnes syllabæ GRAVANTVR* (idest accentu graui notantur) *seù demittuntur, etiamsi mille essent; vt grauis accentus iure dicatur syllabicus, quòd sit in omni syllaba dictionis, præterquàm in illa vna, quæ attollitur, vt Gratiapolitanorum.*

Hinc

Hinc ſequitur hoc verbum octoſyllabum, octo habere accentus: vnicum acutum, vel circumflexum, qui princeps eſt, & *eximius* (vt loquitur Prateolus) & ſeptem graues, qui minoris notæ ſunt.

38 *Diſcrimē inter Accētum, & Spiritum: necnon Vocis Contētionem ab Anonymo vſurpatam.*

Iam accedamus ad ſigillum, quo concludi debet hic ambitus Diſſertationis. Quæro: Debet ne vox iſta *Gratiapolitanorum* in totidem VOCIS CONTENTIONES diuidi, quot ſyllabis componitur? Si Philo-grammaticus ſyllabę eſſentiam ad vnicam vocis contentionem redigeret, eſſet id ab eo omninò affirmandum. Verùm quòd ſecùs ſe res habeat, diſcamus ab eodem Prateolo, à quo neutiquam diſcordat in hoc vniuerſa Rhetorum natio. Scriptor hic igitur poſtquam fusè regulas ſanxit de Lexiphonia, ſtylum conuertit ad Reſpirationem: qua, non tàm intelligit moras eas, queis Orator, dùm verba facit è Roſtris, in certa quædam interualla diſſecare debet membra periodorum; verùm etiam ſegmenta, vel com-

commmata, queis eadem, dum chartæ mandat, tenetur appositè, prudenterq; distinguere. Huiusmodi Leges inter postrema, & potissima est, vt iuxtà seriem significationis, in verbis inclusæ, dictiones ipsas modò simùl iungat, atque vna vocis cōtentione pronunciet, modò easdē separet, & idoneis internodijs aptè distinguat: *Alioquin*, ait, *si plura, necessariò dissoluenda, VNO SPIRITV CONTINENTER* (idest VNA VOCIS CONTENTIONE) *pronunciet, gratiam omnem perdent*. Idque, vt nuper monui, adeò solemne est apud Artis oratoriæ Doctores, vt lacertosè, & strenuè adolescentibus inculcent, & persuadeant accuratam in periodis membrorum distinctionem, tùm si eas scribant, tùm si illas enuncient: qua de re percurrantur ingeniosa Volumina Nicolai Causini, & Auctoris Palatij Eloquentiæ, qui fusè, & argutè rem tractant. Exemplum, Hermetis instar, id apertè demonstrabit. Sit papyro insculpenda, tùm dicenda è sug-

39 *Exemplo res explicatur.*

gestu,

gestu, sequens periodus Ciceronis prò L. Murena, quam ponderat & Prateolus: *Qua in Legatione duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit, Vrbes, partim vi, partim obsidione, cepit.* Hanc periodum sex Incisa, vel parua membra componunt: singula sicùt singulis nodulis mutuò intersecantur in scriptione; sic, vbi pronuncientur, singulis spiritus moralis sunt distinguenda: ità vt senis VOCIS CONTENTIONIBVS, sibi continentèr, & seriatim succedentibus, in auriculas Auditorum deportentur.

40 *Illatio ex dictis.*

Hinc apertissimè constat, adhibitam ab Anonymo phrasim nullatenùs aptari posse syllabæ; cùm potiùs sit aptabilis dictioni, quin & integro membro orationis, quod vnica VOCIS CONTENTIONE è faucibus Oratoris elabitur. Quarè loco illius potiùs supplere debuisset, vt illa describeretur: *Ambæ vocales vnica accentus, & spiritus contentione proferantur*: hoc

enim

enim modo designata esset syllaba, & sinè mendo legitimè explicata.

COROLLARIVM I.

I. IGitur fixum sit, constans, & ratum, Anonymum Corrigiensem Philo-grammaticum indubitanter suis in Animaduersionibus, Regij penès typographum Prosperum Vedrotum primùm cusis, duas in syllabas duas Diphthongi vocales, earumque sonos, disiunxisse: & eatenùs nostram illum pronunciationem diris deuouisse, quatenùs earundem vocalium vim, & sonos ità simul hæc permisceret, nodaret, aut conglutinaret, vt tertius quis, & vnicus sonus, de vtroque extremo, nimirùm de vtraque vocali, aliquid participans, ac propterea compositus, ac mixtus gigneretur; à quo vnica syllaba informaretur.

41 *Expressè hic declaratur Opinio Philo-grammatici.*

Hoc luce meridiana clariùs exposito, & probato, I. videamus quàm cubitaliter à veritate aberrarit Anonymus,

42 *Testimonia Auctorũ, quæ*

Philogrammatico aduersantur.

mus, suffragia colligentes Grammaticorum, qui de hoc argumento scripsere: tùm secundo loco adiungemus robur non vulgare, allatis nonnullorum ex ijsdem testimonijs, sparsim, & indiscriminatim collectis, quæ iuxtà intentum nostrum singulares nobis regulas suppeditabunt.

I. Ioannes Despauterius lib. 2. Versificat. Reg III. & Ælius Nebrissensis appellant duarum Vocalium, in Diphthongo, societatem, *IN EADEM SYLLABA COMPLEXIONEM.*

II. Nicolaus Perottus in Cornucop. & Gerardus Ioannes Vossius in Gramm. pag. 4. IN VNAM SYLLABAM COMPREHENSIONEM.

III. Ludouicus Cauallus in Ian. Mus. cap. 2. IN EADEM SYLLABA CONTRACTIONEM.

IV. Gabriel Prateolus Part. 1. dè Orthograph. IN VNAM SYLLABAM COITIONEM: vel, vt ità dicam, COALITIONEM.

V. Ioannes Baptista Ricciolius cap. 1. Pro-

1. Proſodiæ Reformatæ Regula I V. IN VNAM MIXTI SONI SYLLABAM CONSPIRATIONEM.

VI. Ambroſius Calepinus, & Auctor Theſauri Linguæ Latinæ, IN EADEM SYLLABA CONGLVTINATIONEM.

VII. Terentianus Maurus in Trochaicis, SYLLABAM IN VNAM IVNCTIONEM.

VIII. Cardinalis Sfortia Pallauicinus de Diphthongis Etruſcis diſceptationem inſtituens (quod multò magis extendi poteſt ad Gallicas AV, EV, OV, aliaſq: de quibus infrà; ſicùt vt plurimùm verificatur de Græcis) ſequenti modo præcepit de ſupradicta vocalium coitione, iuncturaque, vt aliàs monuimus: *Per queſto nome DITTONGO intendiamo DVE VOCALI, che neceſſariamente facciano VNA SOLA SILLABA, SENZA POTERSI SCIOGLIERE IN DVE.*

43 *Vlterior probatio.*

IX. In idem cadunt vocabula, quæ vel nonnulli ex allatis Auctoribus, vel

alij, eorundē in Catalogo non inclusi, hac in re minùs aperta significatione, vsurpant. V.G. Litterarum COAGVLI, vsurpati à Despauterio: gemini VNIVS SYLLABÆ soni (& hæc locutio expressior est) à Prateolo: CONIVNCTI SONI duarum Vocalium, à Simone Verrepæo: SONI (mixti tamen, haud simplicis) duplicis vocalis, à Budæo: vocalium VOCEM RETVSAM (quià simùl mixtarū in vnam syllabam) habentium, à Laurentio Valla: immò verò FORTIOREM, & VEGETIOREM à Veronensi Guarino.

44 *Argumenta deducta ex varijs Auctorib. in re Grammatica magni habitis*

Id vlteriùs probatur, vt promisimus nos facturos, rationes aliquot non elumbes, aut imbecillas eruendo ex visceribus earum Legum, quas passim statuerunt Grammatici (quorum Primores nupèr in nobilem cœtum redegimus) dùm de Latina Lingua documenta traderent. Nequè verò expectetur, ijs in producendis, ordo, quoniam pugnæ sumus ad calcē, & potiùs animi gratià certamus,

camus, quàm necessitate; cùm Palmam manu teneamus tot Doctorum in Corona.

45 *Argumentũ deductum ab Euphonia.*

I. Si Diphthongorum vocales in pronunciatione sunt mutuò dissecandæ, vt contendit Anonymus, & in geminos sonos dissociandæ, quonam pacto, sinè pudenda, & asperrima cacophonia, particula HEV, sequente alia vocali, proferetur monosyllaba: & porrò hanc nobis sufficit Scopa cap. 8. duobus in hemistichijs Ouidianis, quorum primum est

Heu vbi pacta fides?

Alterum verò, non minùs ad rem bellè cadens

Iteratis vocibus *Heu*, *Heu*.

Quàm ridiculos, & hiantes in numeros solueretur harmonia carminis, nisi ambæ vocales E, & V comprimerentur, & coangustarentur in vnum mixtum sonum; sicuti præcipit coangustandas Chorus ille florentissimus Præceptorum, quē superius exprompsimus,

 de

de Grãmatica Rep. optimè meritorum!

Et absquè quo discedamus ab eodem cap. 8. nuper commemorati Scopæ, lumina arrigamus ad peculiarem Diphthongon E I, de qua hæc habet: *E I Diphthongum esse superiùs vidimus. Nàm cùm scribimus Thidei, & Orphei, E & I non separamus, sed coniunctim enunciamus, ne quintam potiùs, quàm secundam declinationem significent*: ad cuius Ordinem spectare nouimus hosce casus generandi *Effigiei, Speciei, Diei, &c.* in quibus vocales E, & I binas soluuntur in syllabas, regulariter, & vniuersaliter producendas, solùmque corripiendas vi exceptionis. Benè meditetur Anonymus hunc Canonem, & paulatim resipiscet.

46 *Aliud petitũ à Diphthongo Ei*

III. Antonius Mancinellus in Versilogo tractationem habens de hac voce DEVS, ad rem nostram isthęc obseruat: *Quin adeò putant D E I per Diphthongon, qua Veteres frequenter vtebantur, posse MONOSYLLABVM pronunciari; & tamen per EI scribi.* Ergò à

47 *De voce Dei.*

dupli-

duplicitate syllabæ Diphthongus abhorrere dicenda, vi suæ naturæ.

48 *De discrimine inter Diphthongum, & Monophthongum.*

IV. Hinc Guarinus Veronensis exponens Floro rationes Diphthongorum; nec non discrimen, quod interiacet inter ipsas, & monophthongos; non affirmat in hoc vtrasque differre, quòd hæc vnicam redigatur ad syllabam, superior autèm dilatetur ad duas: verùm omne discrimen disertè reijcit in materiale vocalium binarium, quo caret Monophthongus, & Diphthongus constat, his verbis: *Differt autèm à Monophthongo Diphthongus, quòd hæc duas habere vocales, illa vnicam duntaxat cernitur, vt EOA* (& aliàs eiusdem dictionis exemplo nos quoque sumus vsi) *vbi tres monophthongos esse deprehendis.* Ergò Diphthongus hoc ipso, quòd duplicet vocales, non propterea duplicat syllabas: alioquin malè id tacuisset Guarinus, vt potè magis ad rem suam essentiale; hoc enim ipso, quòd syllabas Diphthongus augeret, aut congeminaret, eo ipso à monophthongo,

vnicę vocali, ac propterea vnicę ſyllabę neceſſariò addictę, palàm diſcordaret.

49 Nouum Argumentũ, ductum è Muſica.

V. Gabriel Prateolus agens de temporibus, quorum gradibus metiendæ ſyllabæ, hac ſimilitudine mentem ſuam explicat, è Muſicis ingenioſè ducta: *Cui ſimile* (inquit Part. IV. pag. 273.) *& non nihil habet menſura Muſicorum, quam vocant; nàm & illi vocibus alijs ſingulas, alijs binas, aut ternas menſuras, tribuunt*. Ergò licet tempora duplicet Diphthongus (quoniam, vt potè longanda, duabus menſuris ęquiualet) tamen eo ipſo non multiplicandę ſyllabę: cùm vna, & eadem omninò plurium menſurarum, penès Oratores, & Poetas, ſit capax; ſicùt duarum, trium, quattuor eſt capax apùd muſicos.

50 Diphthõgus aliquãdo breuis.

VI. Idem Auctor pag. 287. vnà cùm Scopa, Emmanuele Aluaro, Perotto, Ioanne Stephano Sicianenſi, Saxo, cęteriſque Proſodiacis, obſeruat Productionem naturalem, quam penès

Gręcos,

Grçcos, & Latinos exigit ſyllaba diphthongata, ſequentem pati exceptionem: *In Latinis verò*, inquit, *inuenitur & breuis in compoſitione, ſequente vocali, vt Praeſſe, Praire, &c. Aliquandò etiam diuerſis in dictionibus corripitur, vt Virgilius*

INSVLAE Ionio in magno.

Quo poſito, ſic argumentor: Si duas in ſyllabas ſuopte ingenio Diphthongus diſtingueretur, quonam pacto abſque vlla figura grammaticali, quam nullus obſeruauit huc vſquè, ad vnicam temporis menſuram, nempè ad vnam ſyllabam breuem poſſet illa redigi? O Monſtra, & ſomnia litterarum!

VII. Si explicato ſono, & exporrecto vocales in Diphthongo enunciantur, & ſingulariter V, prorsùs ea ratione, qua ſolet efferri in aduerbio VTINAM; cur ergò Deſpauterius Orthograph. pag. 2. poſtquàm in exemplum geminas has dictiones FRAVS, & LAVS

51 Argumentũ ſuppeditatum à Deſpauterio.

& LAVS adduxit, addidit posteà: *Sed EMAVS trisyllabum est?* Absque coarctatione, & compressione duarum vocalium A, & V in vnam syllabam, facta, quandò pronuncias *Fraus*, & *Laus*, fac quęsò, si licet, vt dissideant à sono, quem iacit dictio *Emaus*!

52 *Obseruatio Manutij, & Stoæ.*

VIII. Aldus Manutius in eadem vocum terminatione, de qua nunc agebamus, immoratus, ista subdit: *Sed aduerte, ne te decipiant Nicolaus, & Menelaus*, in quibus nō est Diphthongus, ratione Grę-cæ desinentiæ in αοσ: vt Νικόλαοσ, ac Μενέλαος. Addit cap. 8. pag. 22. Ioannes Frāciscus Quintianus Stoa eadem nomina in Vocatiuis *Nicolae*, & *Menelae* item minimè diphthongari: *Quià vtraque vocalis auditur, quòd non solet fieri in Diphthongo.* Sinè illa, solemni nobis, & iam crambes instar sæpius repetita duarum vocalium in vnam syllabam, vnumque sonum mixtum enunciatione, quo pacto fundamentum habeant ista discrimina, Dędalus inuestiget, nouarum rerum repertor industrius.

IX. Pri-

IX. Priscianus lib. 2. pag. 23. *Sæpè, ait, inueniuntur prò duabus vocalibus iunctis, hoc est prò Diphthongo, singulæ vocales positæ; vt Plostrum prò Plaustrum, & Inquiro prò Inquæro: & vbique prò E I E producta, vel I.* Hinc arguere est: Igitur ità & dicendum, Veteres Diphthongi geminas vocales vnum in sonum contrahere consueuisse, non porrò simplicem, sed mixtum, vt vnica videretur: ac propterea datã esse fortassis occasionẽ, vt aliàs videbimus, amanuensibus, & librarijs vnicam exprimendi, & figurandi, non duas.

53 Obseruatio ad rem nostrã Prisciani.

X. Vtque demùm huic argumentorum aceruo coronidem imponamus (quem mirum in modum, nisi temporis breuitas aliter persuaderet, liceret amplificare) optima est animaduersio, quam facit oculatè Stoa cap. 8. his omninò verbis: *Vndè obiter cognoscas, quando segregatur Diphthongus* (hoc est vel morula quadam spiritus, vel sono, adeò explicato, & aperto, vt geminę vocales geminas seiüngantur in syllabas) *breuiari*

54 Obseruatio alia rursum Stoæ.

uiari primam vocalem illius Diphthongi.

55 Hinc I. fit manifestum, eos Anonymi sectatores, qui duas in syllabas, & duos in sonos vocales Diphthongi partiuntur, vi quadam barbara eiusdem Diphthongi destruere essentiam: cùm vocales, ipsam componentes, alienam immutent in naturam, & ex longis breues efficiant. Et licet, vt alij plures ęquè sedulò notarunt, secùs scripsisse videatur Guarinus, dùm obseruatum reliquit: *Nonnulli prò secunda eius* (hoc est Diphthongi AE) *littera, AI more Græcorum pronunciarunt. Quapropter Maro, Antiquitatis amãtissimus, AVLAI prò Aulæ, & PICTAI, prò Pictæ vestis, suo inseruit carmini.*

Damnaque oboriuntur ex Anonymi sententia.

AVLAI in medio libabãt pocula Bacchi.

Diues equum, diues PICTAI vestis, & auri.

Tamèn satis, superque talis appendicis, & exceptionis peregrinę basim denudat, dùm scribit, Græcorum more hæc vocabula procudisse Virgilium, et ad certos temporum gradus.

dus, metricamque menſuram, ad ipſorum imitationem, coarctaſſe. Quin immò aliquam ſcintillam lucis ex hac eadem ſcilice licet excudere. Si enim, vt vult Anonymus, Antiqui pronunciabant Diphthongos AE, OE, & EI (nequè nos hoc in Puncto omninò diſſentimus, vt infrà profitebimur) non more Monophthongi, vt noſtra facit ętas; ſed ità, vt ambę vocales ſaltèm leuiter inſonarent: ſique verum eſt (quòd omnes Docti negabunt, & negant) duas in ſyllabas, cùm geminato ſono coniunctas, bifurcę inſtar arboris, Diphthongum ſeiungendam, quarè igitur ad Gręcorum Lexica Virgilius acceſſit, cùm per ſe poſſet, omiſſis vocibus PICTAI, & AVLAI, ſcribere Latinorum ritu PICTÆ, & AVLÆ, duplicemque in ſyllabam poſtremas duas vocales diuidendo, carminum pedes implere?

56 *Probamus Vocales in Diphthongo*

II. Habeo vocales in Diphthongo deperdere eſſentiale aliquod attributum, quod obtinent minimè ſyllabam diphthongantes. Id contrà eſt Anony-

mum,

mum, qui docet V in AVT esse eiusdem speciei, ac si foret in VTINAM. Demonstratur id 1. satis robustè, v nostra fert opinio.

mutari essentialiter.

Ad substantialem vocalis mutationem non requiritur, vt nota, vel figura eiusdem vocalis corrumpatur, aut pereat: sed satis est, si sonus in ea notabiliter innouetur, idque videre datur in commemorata nupèr vocali V, quę post se habens aliam vocalem, à qua comprimatur, speciem mutat, ac essentiam, omnium Grammaticorum sensu, atque suffragio, & vertitur in Consonantem. Sed verissimum est, & indubitabile, quòd eadem vocalis V in Diphthongo sonum notabiliter variet, atque à se ipsa, extrà Diphthongum constituta, summoperè dissideat: Ergò essentialiter in Diphthongo mutatur ab ea, quæ prius fuerat extrà vocem non diphthongatam. Quòd notabiliter sonum variet, qui est Forma, iuxtà Stoam, scilicet pars potissima, & essentialis litterarum, ac precipuè vocalis, probatur.

57 *Sonum notabiliter variat vocalis V.*

probatur. Gabriel Prateolus de Orthograph. Part. I. considerans etymon vocalium, ait sic dictas: *Quòd per se VOCEM PLENAM, & SONVM efficiant PVRVM: & solæ per se syllabam faciant: hincque factum esse, vt SONANTES nonnulli vocarint.* Duas hinc eruo dotes essentiales vocalium; quarum altera est, vt sonum purum, plenumque habeant; altera, vt singularum positione (ad latus scilicet consonantis, vel etiam sinè huius societate) conficere de se possint syllabam. Verùm enimuerò nostro in casu iuxtà Vallam, Guarinum, Ricciolium, reliquosque Artis Grammaticæ Professores, in Diphthongo vocales nullo modo edunt VOCEM PLENAM, & PVRAM, cùm potiùs refractam patiantur, & obtusam: nequè singulæ constituunt syllabam, sed semisyllabam, simùl enim ambæ vnicam formant: Ergò mutantur vocales essentialiter in Diphthongo.

dũ diphtongum ingreditur.

Probatur II. paritate, petita ab Elemen-

58 *Parita-*

te con- mentis (quoniàm & elementa dicuntur firma- litteræ, vt obſeruauimus ſuprà) quæ tur. profectò alia ſunt ſubſtantialiter in Mixtis, quàm ſint ſecundùm ſe ſimpliciter, inuicem diſcreta, iuxtà probatiſſimam Philoſophantium opinionem. Alioquin ſi integra, & eiuſdem, cuius anteà fuerant, ſpeciei in quocunque Mixto permanerent, omnia vtique ſublunaria Compoſita, cuius ædificium formant, ac temperant, ad vnam, eandemque claſſem, ac ſpeciem pertinerent: quo nil reputari poteſt abſurdius, & inconcinnius excogitari. Igitur eodem pacto vocales mutabunt ſpeciem, cùm ex ordine ſimplicium euadent in mixtas; & prioris vi ſoni deperdita, obtusè, & partialiter ſolùm enunciabuntur.

59 *Paritas alia ducta à Græcorũ litteris.* Probatur III. alia paritate, Græcorum ex Alphabeto ducta. Profectò ſpecie inuicem differunt ὀμικρὸν, & ωμὲγα; vti & ἦτα, & ἰῶτα: & quidèm ea ſolùm de cauſa, quòd ο corripiatur; ω, & η producantur; ι verò ſit anceps. Igitur cùm vocales in Diphthongo, dùm cæ-

teroqui

teroqui per ſe ſunt breues, purumque ſonum iaciunt, cunctorum confeſſione euadant longæ, ſonumque edant ſemimortuum, & obtuſum, diſſidebunt eſſentialiter à ſemetipſis, quandò extrà diphthongatas voces vſurpabuntur.

III. Deduco nos ſatiùs, & congruentiùs loqui, dùm de Diphthongo ſermonem inſtituimus, excludentes nomen multitudinis, quo non ſinè grano ſalis, (Anonymo Corrigienſi Philogramatico vnicè inuito, duas in ſyllabas Diphthongon partiente) alij Doctores, ſuprà recenſi, vtuntur; vnico ſono, non tamèn ſimplici, & incomplexo, ſed ex duobus partialibus mixto, conglutinato, & in vnum apicem conſpirante, vocales, queis Diphthongus conficitur, iuſtè donantes. Et probatur I. Quià nùllus ſic dubitare poterit, quòd eundem cùm duplici ſyllaba nos coniungamus. II. Quià cùm vnicam moralem entitatem ob aures ponat Diphthongus, ex pluribus coalitam, meliùs eiuſdem eſſentiali

60 *Quantum expediat vocalis in Diphthongo dicere Sonū quàm Sonos.*

M vni-

vnitati etiam soni quadrat vnitas. III. Quià & Compositum, seù Mixtum naturale dicitur vnum, non verò multiplex; & effectus, licet à singulis partibus, ipsum componentibus, pendeat, tamèn ab toto collectiuè, easdem partes complectente, produci dicitur, non in numero multitudinis à pluribus. IV. Quià religiosiùs hoc pacto hæremus definitioni, ac naturæ syllabæ, superiùs expositæ Num.8. vnius soni capaci; sicque ansam omnem præcidimus inanium rixarum. V. Quià demùm hac ratione sequimur probatæ notæ Doctores, ab errore vtiquè alienos: nimirùm, vt paucos hic nominemus, Simonem Verrepæum, Ioannem Baptistam Ricciolium, Ambrosium Calepinum, Desspauterium, Budæum, Nicolaum Perottum, & Laurentium Vallam; quorum primus expressurus vim duarum vocalium in voce diphthongata, vsurpauit has dictiones, CONIVNCTVM SONVM: alter verò MISTVM SONVM: tertius, alijque duo, à nobis cum

cùm illo ſociati, DVARVM SONVM: ponè ſuccedens, VNVM SONVM: deniquè poſtremus, VOCEM HABENTIVM RETVSAM.

COROLLARIVM II.

Videat hìc igitur, & ſuo malo ſentiat Corrigienſis Anonymus Philo-grammaticus, queis fundamentis nixus R.P. DOMINICVS GAMBERTVS, vir nominis non adeò obſcuri, potiſſimùm clariſſimo huius Sereniſſimæ Ditionis in ambitu, vt eum latere debeat, noſtras Theſes prompto calculo probarit; nobiſque contrarias, vt potè Veritati aduerſantes, expunxerit, & exſibilarit: & aliquandò probè intelligat, quàm audacter, & imprudenter eiuſdem ſuffragia, ac ſi Æquitatis à luce diſtarent eo planè interuallo, quo à Sole diſtant tenebræ, temerè neglexerit. Adhùc tamèn ſe tutum ſciat à doctis vnguibus tanti hominis: ſibique appingat, vbi ſecùs ſuſpi-

61 Fundamenta hinc obſeruare datur, queis nixus P. Gãbertus, negarit eſſe firmas, ac ſolidas Anonymi probationes.

caretur, illud Epigramma, quod ingeniosè textum, & ſcitè concluſum Martialis lib. 1. exhibet nobis in commendationem Domitiani Cæſaris.

Quid nùnc ſæua fugis placidi, Lepus, ora Leonis?
Frangere tàm paruas non didicere feras.
Seruantur magnis iſti ceruicibus vngues:
Nec guadet tenui ſanguine tanta ſitis.
PRAEDA CANVM LEPVS EST; magnos non implet hiatus.
Non timeat Dacus Cæſaris arma puer.

Nequè pariunt, nequè ſecum digladiantes patiuntur Aquilæ Columbas; nec muſculi in sãguine Elephas cruẽtatur. Verùm ſua detrimenta ſentiet clariùs in ſecunda Parte huiuſce Diatribæ; quam, vbi interrogationi triplici ſatisfecerimus, paucis expediemus.

62 *Finis habitus ab Inſtitutoribus Diphtõgorum.*

Quæres hic I. Quem ad finem ab Græcæ, & demùm ab Latinæ, tùm Etruſcæ, Gallicæ, Hiſpanæ, &c. Linguæ Inſtitutoribus, & Cenſoribus inuenta Diphthongus?

Ad

Ad aliquam tàm obſcura in quæſtione reſponſionem, præmittendas reor accuratas eas rationes, & inſigni laude digniſſimas, queis potiſſimùm Græci, & Latini tollere nitebantur æquiuocationes, & tricas inter vocabula, quæ loquendo vſurparent: ità vt, quantùm fieri poſſet, & ſpecies dictionum, & quantitas ſyllabarum apertè dignoſceretur. Propterea, quemadmodùm ſuprà notauimus Num. 7. ex Tullio, & Aluaro etiàm minutæ plebi fuiſſe Romæ notas temporum menſuras, queis conſtarent ſyllabæ, dùm in Theatris aliqua vel vincta numeris, vel ſoluta enunciaretur oratio: ità Græci nominibus præponebant articulos, quaſi characteres, & notas, quarum vi ſingulorum genus intelligeretur, ac numerus. Id, eodem Aluaro teſte, vſurpabant & veteres Grammaticæ rei Doctores: qui vel florentiſſimà Ciceronis ætate vixerunt, vt expeditiùs tanti momenti negotiũ tractaretur. Quam rationem & M. Varro, Romanorum eru-

ditissimus, frequenter exequutus ijs in libris, quos de Analogia studiosè texuit. Nequè verò minus erat studium, quo in scriptione vtebantur, vt omninò longæ syllabæ à breuibus internoscerentur. Hinc Auctor, grammaticalibus in quæstionibus eximiè versatus, bis nupèr in medium non sinè commendationis nota productus, agens lib. 3. Maioris Gramm. de syllaba, hæc Posterorum memoriæ notanda suppeditauit: *Veteres, vt Quintilianus lib. 1. cap. 7. vsquè ad Accium, & vltrà, porrectas syllabas geminis vocalibus scripserunt. Itaquè, MALVS homo, simplici A: MAALVS arbor, gemino olim scribebatur. VENIT præsens, vno E: VEENIT præteritum, duobus: atquè cætera eodem modo*. Idem saltèm ex parte notauit Despauterius lib. 2. Versificat. pag. 13. hæc habens: *EI in fine est, vt HEI: & apud Veteres scribebatur pro I LONGO in Datiuis, & Ablatiuis*. Hoc fortè didicit à P. Nigidio, quem Tullius ob insignem & ingenij, & eruditionis

excel-

excellentiam ſummoperè coluit, in quarto, & vigeſimo Commentariorum grammaticalium, penès Gellium lib. 13. cap. 24. vbi: *Si*, ait, *huius AMICI, vel huius MAGNI ſcribas, vnum I facito extremum. Sin verò hi AMICEI, hi MAGNEI, caſu multitudinis recto, tùnc antè I ſcribendum erit E, atquè id ipſum facies in ſimilibus*. Ioannes Franciſcus Quintianus Stoa Epograph. 2. cap. 5. vniuerſale dogma, quod attulit ex Quintiliano Emmanuel, repetit, dicens: *Illud addendum eſt, Antiquos vocalem producendam geminaſſe; FEELIX, VIIRTVS, &c.* Et cap. 7. addit hoc vlteriùs de vna ex Diphthongis: *Memoriæ dandum eſt, OE apud Antiquos poſitam pro V, vt COERAVERVNT prò Curauerunt; & prò I, vt SOLOE, prò Soli*. Libro item I. de Diphthongo EI Ioannes Scopa: *Diphthongon*, inquit, *EI prò omni I LONGO ſcribebant Antiqui, Græcorum more*: ſicùt aliqui etiàm recentiores ſectatores Antiquitatis, vice E

ſolent vſurpare, ſcribentes, *Omneis, Vocaleis, Florenteis, &c.* prò *Omnes, Vocales, Florentes*: de qua re Deſpauterius loco ſuprà citato: *Et in Accuſatiuis pluralibus*, (loquitur de vſu Diphthongi EI) *tertiæ Declinationis, vbi Genitiuus in IVM deſinit: vt Parteis, Treis. Id video à Doctiſsimis adhùc hodiè obſeruari; ideò & ipſe id diligentèr cuſtodio*. Hùc vſquè Deſpauterius.

63 *Quattuor Cauſæ Diphthongorũ numerantur.*

His prænotatis: hac in re, & quæſtione quam nullus ſatis elucidauit, exiſtimo dicendũ, quattuor ob cauſas Diphthongos inuentas: nimirùm ob LEXIPHONIAM; APORIAM; & EVPHONIAM; nec nõ ad SYNCHYSIM euitãdam: Siuè vt ad captum vulgarem aptiùs loquamur I. Ad hoc, vt vocum quantitas, quòad fieri poſſet, in earundem vocum enunciatione conſtaret. II. Vt ſatisfieret indigentiæ, qua locutionis Legiſlatores, in varianda dictionum textura, paſſim laboraſſe iudicandi ſunt. III. Vt gratior, & dulcior quandoquè cuderetur ſonus, ex ſuauiori, &

ri, & benè temperata litterarum mixtione. IV. Deniquè, vt Confusio tolleretur, & vna vox dissideret ab alia, cæteroqui sibi simili.

Scio Despauterium videri nobis minùs propitium, quoad primam: libro enim 2. Versificat. pag. 13. scriptum reliquit: *Nec enim ideò Diphthongi inuentæ sunt, vt per eas longæ syllabæ à breuibus noscantur; quià Sedes, Sedo, Cessi, & alia innumera producuntur, sinè Diphthongis.* Verùm, circà postremum exemplum, sufficit Consonantis S duplicatio, ad hoc vt syllaba sciatur producenda: duo verò præcedentia possit aliquis dicere librariorum incuriâ esse gratis Diphthongo spoliata, iuxtà testimonia, quæ infrà adducentur. Sed quidquid sit de hac re; locutus est hic Doctor saltèm de causa totali, non verò de partiali, quam nos digito notamus, & vnicè volumus: necnon probamus paritate, ductâ ab obseruationibus, superiùs adhibitis. Veteres ijs in syllabis vt plurimùm vocales

64 *Opinio Despauterij.*

gemi-

geminare consueuerunt, quæ produci, & longari deberent; quinimmò, vice vocalis alicuius, aliquandò duas specie discrepantes simùl associabant, vt vnà cùm Scopa notauimus in dictionibus CVRAVERVNT, & SOLI. Nequè verisimile est, quòd huiusmodi in congeminatione vocales ambas enunciarent; vel profectò id fecerint valdè obtusè, vt infrà dicemus de Diphthongis Æ, OE, & EI. Prætereà de Antiquorum scriptione agens Aldus Manutius, hæc habet: *Antiqui, Græcam Orthographiam obseruantes, AGGELVS, & DIPHTHOGGVS scribebant, per duplex GG:* & tamèn quis dixerit, eosdem sic pronunciasse, vti scribebant, cùm suauitatis, in sermone, sedulos curatores fuisse constet? Ergò nèc minùs verisimile iudicandum, quòd idem sæpenumerò vsurparint & in vocibus diphthongatis: nempè, vt licet scriptis litteris non responderet totalis enunciatio, tamèn non essent illæ inutiles, cùm saltèm partialiter prolatæ, syllabarum

men-

mensuras appositè edocerent. Nequè itèm spernenda coniectura videtur illa, quam hic afferre lubet in medium, nòn absurda paritate proposita litterarum, ad aliam speciem suopte ingenio pertinentium. Intèr Consonantes inuentæ sunt duæ, quæ iure, meritòque dictæ sunt duplices, quià duarum simplicium vim complectuntur: nimirùm X, & Z. Primam, vt refert Stoa Epograph. 1. cap. 47. *Diuo Augusto imperante, quendam Syluium ludimagistrum addidisse nouimus: eo tempore Z litteram, quæ prò duplici SS. ponitur, inuentam dicunt. Ideò duplicem consonantem appellamus, quoniam prò G S, & prò C S substituimus*. Hac constituta basi, sic ad rem nostram insurgo: Vt simplex, & vnica reperiatur vocalis, quæ se sola duos faciat sonos, fieri non potest. Cùm enim vocalis, positione sui, vocem, sonumque ferat, se sola vnicum reddere valet, nempè natiuum; aùt laxiorem, aùt minùs apertum; nòn tamèn duplicem. Ergò credibile iudicare pos-

65 *Alia, non inefficax coniectura.*

possumus, quòd Eruditorum ingenio, necnòn industria, ereptà copià vocalis duplicis, inuenta sit mixtio, & compositio ex duabus: hac conditione, vt simùl iunctæ duobus temporibus æquiualeant, sicuti X, & Z consonantes duplices æquiualent duabus litteris.

66 *Secũda Causa exponitur.* De reliquis tribus causis, quas ad Diphthongorum institutionem impulisse animos doctorum hominum existimamus, nòn est cùr longiùs sermocinando progrediamur, cùm non imbecille earum fundamentum primis obtutibus innotescat. Quis enim nesciat circà II. eandem necessitatem, quę persuasit nouorum characterum inuentiones (qua de re fusius in Nucleo I.) sollicitasse paritèr ad multas eorundem combinationes, & series obeundas: vt & fastidium tolleretur nimia vocum æqualitate; & cùm sint signa ad placitum, res, & substantias figurantia per accidens, quas per se Natura condidit, eò magis congruerent obiectis, quò magis inuicèm discriminarentur.

Circà

Tertia Causa, ob quã inuentæ Diphthongi.

Circà III. nullam inueniri ſub Cœlo nationem compertum eſt omnibus (niſi fortè barbara, minimè curet loquelæ nitorem, & culturam, ſicùt inculta moribus eſt) quæ non amet melodiam quandam in ſermone vel familiari, ſplendoremque aliquem in ſonora catena dictionum. Id compellere potuit primos Locutionis Auctores, ſiuè Reſtauratores, ad inſtituendas earum litterarum ſocietates, & ſeries, quæ amœnę acciderent, & gratioſę: & hoc pacto Diphthongi inuentæ, in quibus concinna vocalium aggregatio, omni aſperitate reiecta, eam gigneret dulcedinem, quę ſuſcitaret homines ad mutua colloquia; dùm blanditijs quibuſdam, leporibuſq; in ipſo materiali ſermone concluſis, delectationem pareret ipſamet ſermocinatio. Hinc factum, vt tàm penès Italos, quàm penès Hiſpanos, vocalis V, quæ ſubeunte vocali alia fit Conſonans eſſentialiter, delicata quadam ſoni moderatione, contrà vim naturæ ſuæ, remaneret

neret vocalis, & ità ſyllaba diphthongaretur. Id apùd illos, ſcilicèt Etruſcos, obſeruare datur, vt monet Cardinalis Sfortia Pallauicinus, in vocibus VOVO, (loquimur de prima ſyllaba, nàm in ſecunda vocalis V degenerat in Conſonantem) e VOMO: apud hos verò, nimirùm Caſtellanos, vſurpatur in dictionibus Bueno, Suerte, Muerte, Suele, Puedo, Nueua, &c. Item leporis ergò ijdem Caſtellani vocali E præponentes I, Diphthongon conficiunt, V.G. Bien, Cierta, Tiempo, &c. hoc enim pacto flexibilior, & lenior euadit dictio, & ſonus dulcior procreatur. Verùm enimverò hac in re cæteris omnibus antecellunt Galli, tùm Naturæ, tùm Virtutis beneficio ſemper Principes: qui licet multis characterum aceruis, & ordinibus impleant paginas, numeris tamèn, & harmoniæ operam dantes, plurimos ex ijs in pronunciatione præcidunt: & ea iunctura inuicèm verba nodant, vt euitetur nimia conſonantium colliſio, & crebri deſint hiatus,

68 Diphthongi Italæ, & Caſtellanæ.

tus, ſicque oratio fluat amœnior, & gratior.

Circà IV. deniquè ijſdem ab Gallis (quoniàm potentiſſimo eorum in Regno Capitolium eſt, vbi triumphat Eloquentia, ſicuti ſedes eſt, & ſolium, vbi Politicæ, & Militaris Artis dominatur experientia) ſi inquiramus cauſas, quarum intuitu tot ordines Diphthongorum inſtituerunt, florentes adhùc, & vſu ipſo corroboratos: quas inter leui facta obſeruatione collegimus ſequentes: AI, Faire, Saiſon, Faim: AY, Delay: AV, Vaiſſaux, Autant, Cheuaux: EAV, Chaſteau, Ciſteau: EV, Euſt, Leurs, Heureuſe: OEV, Cœur, Sœur, Mœurs: EA Rauagea, Logea, Iean, (vbi prima vocalis, facta Conſonans, inſtàr Etruſci G ſonat) OV, Troupes, Pour, Touſiour: OI, Auoit, Paroiſtre, Faiſoit: EI, Seigneurs, Deſſein, Enſeignoient (& aliquandò eoſdem geminare compertum eſt eiuſdem ſpeciei vocales; à conficienda tamèn diphthongo alienas, & de hoc con-

69 *Quarta cauſa Diphthongi.*

conculatur Reg. III. Ricciolij) in quibus omnibus aliqua ſemper ſubticetur, ſupprimiturque vocalis; eo pacto, quo apud Latinos noſtra hac ætate extinguitur vocalis E in Diphthongis AE, OE, & EI: audiemus, abſquè dubio, hæc omnia facta ſæpiſſimè, vt nempè multis æquiuocationibus ablatis, inutilis rixæ, & acerbi riſus amputaretur anſa, & ſonus dictionum mirabili quadam varietate, necnon ſuauitate, temperaretur. Sèd vt ad Latinorum litterarios theſauros me conuertam: profectò ſinè nota Diphthongi plurimæ voces, re ipſa mutuò diſſimiles, ſed litterarum vna, & eadem mixtione pares, abſurdo errore inuicèm confunderentur. Multùm enim inter ſe diſtant, Equus, & Æquus: Equo, & Æquo: Es, & Æs: Edes, & Ædes: Celo, & Cælo: Penè, & Pœnæ: Veſtæ, & Veſte: Vitæ, & Vite: Iræ, & Ire: Quæ, & Que: Pœto (alterum oculum minorem habenti) & Peto: Mene? & Mœne apùd Feſtum: Mereo, & Mæreo:

70. Æquiuocationes, quas pareret absentia Diphthongi.

reco: Seuum, & Sæuum, cùm sexcentis eiusdem generis.

Quæres II. An secùs Antiqui Diphthongos, & ex his potissimùm Æ, OE, & EI pronunciarent, ac nos enunciamus.

71 De pronũciatione Antiqua, & recenti Diphthongorum.

Vt interrogationi fiat satis; dicendum primò penitùs corruptas esse, Imperio Romano fluctuante, non modò Accentuum, & Temporum in Latina Lingua, Leges; verùm & ità deprauatam eiusdem Linguæ substantiam, vt emortuo ipsius stipite tres surculi, essentialiter ab eodem diuersi, germinarint: triplex nimirùm Idioma Etruscum, Gallicum, & Hispanum; triplex, vt dixi, Ramus extinctæ Latinitatis. Propterea neque negandum, aùt mirandum reor, vnà cùm substantia perijsse & accidens: vel, si displiceat hæc appellatio, extinctam pariter particulam Latini sermonis, scriptionisque, Diphthongon. Et sanè plures habeo penès me, qui hac de re conquerantur: quorum auctoritas quoniàm magni momenti est, ponderisque, eorundem testimonia oppor-

tunum propterea hic coaceruare duxi.

Ioannes Despauterius lib. 2. Versificat. Reg. 3. hæc habet: *Ignauia, & ignorantia hominum fecit, vt vix quisquam rectè sciat Diphthongos pronunciare*. Et rursùs: *Essem his contentus, nisi indoctissimi homines Diphthongos ità neglexissent, vt etiàm rarissimus sit ex elegantioris litteraturæ studiosis, qui has inuiolatas obseruet*.

I Despauterius.

Eadem repetit clariùs, quià occasionem erroris exprimit aliquam Floro, Guarinus Veronensis, hisce verbis: *Subindè cùm negligentià, & vitio librariorum omnem ferè Diphthongorum consuetudinem abolitam, aùt deprauatam aspiciam: ità vt breues sæpenumerò syllabas, ex vetustissimis Codicibus Diphthongis notatas, comperiam, vndè ipsarum rationem, aùt vsum aucuper, vix satis scio*. Hucusquè Guarinus.

II Guarinus.

Apùd Gabrielem Prateolum Part. I. Gramm. scriptum reperio: *Quòd Æ, & OE vt E pronuncientur; EI vt I, id potiùs ignorantià hominum factum est*,

III Prateolus.

est, quàm ratione aliqua. Veteres enim alitèr, atquè nùnc solemus, pronunciabant.

Christophorus Saxus, singulis Diphthongis enumeratis, earumque sonis, haec scripsit in margine: *Veteres alitèr pronunciasse, multi contendunt.*

IV Saxus.

Aldus Manutius in tractatu de Diphthongis Graecorum, dequè modo, quo in Latinum transferantur, anceps, ac dubius haec Posteritati commendat: *An Diphthongos, & ε. η. ο. ω. υ. vocales, vt nùnc nos, Antiqui quoquè pronunciauerint, in Fragmentis nostris disputaturi sumus; nàm & Graeci meo iudicio suas Diphthongos, & nos nostras, tùm quas diximus vocales, perperàm pronunciamus.* Fusiùs examen, ad quod Aldus Lectorem inuitat, adeat, & ponderet cui tempus suppetit: nobis enim sufficit mentem ipsius indicasse.

V Manutius.

Emmanuel Aluarus lib. 3. Gramm. Maioris, sequentem in modum, loquitur in Commentario: *Veteres ità Diphthongos pronunciabant, vt vtraque vo-*

VI Aluarus.

calis perciperetur; quod hodiè in duabus AV, & EV tantùm experimur. Nàm in cæteris ferè vna tantùm auditur.

Richardus Esius initio Rudimentorum Linguæ Græcæ schol.2. ait: Apùd Latinos Æ, & OE, *contrà Diphthongorum naturam nùnc simplicem edere sonum:* & Ludouicus Cauallus in Ian. Mus. cap. 2. vult Diphthongi vocales ità vnam efficere syllabam, vt *Ambæ audiantur*. Et licet loquatur de Diphthongis AV, & EV; hoc tamèn ampliatiuè extendi potest ad reliquas.

VII Esius, & Cauallus

Demùm Ioannes Baptista Ricciolius in Responsione doctissima, Voluminis huius in fronte constituta, pag. 20. exponit hanc Conclusionem, quæ est numero II. *Licet in Diphthongis AE, & OE primùm ex abusu, deindè vi consuetudinis, dissimuletur, in pronunciando, prior vocalis, nec ferè audiatur nisi sonus solius vocalis E; hinc tamèn nòn sequitur, aùt penitùs dissimulandam alteram vocalium, in pronunciandis Diphthongis AV, & EV; aùt, si rigoro-*

VIII Ricciolius.

gorosè, & ad normam antiquæ pronunciationis proferendæ essent Diphthongi AE, & OE, nòn fore meliùs pronunciari ex parte vtranque vocalium.

His præmissis, & ratione habita dignitatis, quam tenent Auctores, hìc congesti: Dico, vtiquè Antiquos, saltèm partialiter, &, vt loquitur Valla, retusè vtranque vocalem in Diphthongis Æ, OE, & EI delibasse. Et licet Guarinus dixerit Diphthongum fortiùs, vegetiùsq; proferri, tamèn id docuit intuitu vnius soni mixti, nec nòn compositi, quem iacit vtraque vocalis; volens, vt sit fortior, & vegetior, quàm si scaturiret ab alia vulgari syllaba, quam vocalis vnica ingrederetur.

72 Opinio Auctoris.

Cæteroqui habità ratione ambarum vocalium disiunctiuè, singulæ non fortiorem, aut vegetiorem, sèd habent remissiorem, & magis elumbem; cùm ità fractum patiantur, & obtusum, vt parte ipsius deperdità, solùm gaudeant dimidiato.

73 Extrà Diphthongũ, & in Diphthongo vocales.

Quòd verò saltèm, vt dixi, leuitèr

74

 voca-

Probatio Prima ex Auctoritate. vocalis vtriusque iuncturam, pronunciando, Antiqui manifestarent, demonstratur: Primò auctoritate tot Scriptorum, quos Grammatica in re rude donatos celebrat, ac sequitur, vt suos Duces, tàm illustri in facultate Posteritas. Id enim profectò eruerint vetustis ex tabulis, marmoribus, librorumque fragmentis; eorum iugi lectione, nec nòn commentatione, didicerint (ea voluptate, quam parit Veritatis consecutio) & alienæ vtilitati posteà vulgarint.

75 *Ratione Institutionis.* Secundò probatur: quià nòn est verisimile, quòd frustrà Diphthongi repertæ fuerint, ac institutæ: idque profectò contingeret, si nulla ratione profuissent enunciationi, & instàr muti elementi sonoras dictionum entitates, mortuo quodam modo, fuissent comitatæ.

Tertiò confirmatur obseruatione, 76 *Probatio Despante-* obita à Ioanne Despauterio lib. 2. pag. 12. his verbis legentium commodo expressa: *Martialis lib. x1. in Lupum ioca-*

iocatur, qui ipsi Martiali prædium dederat, sèd adeò exiguum, vt prandium maluisset: vndè post multa dicit ...rij eruta ex Martiali.

Errasti, Lupe, littera sed VNA:
Nàm quo tempore PRAEDIVM dedisti,
Mallem tu mihi PRANDIVM dedisses.

Prædium, vnà litterà mutatà, fit Prandium, ponendo scilicet N pro E. Ergò in PRAEDIVM certè Martiali est A littera. Hæc Despauterius: vndè licet ad rem nostram argumentari. Si in Diphthongo Æ (idemq: suo modo ad reliquas duas OE, & EI protensum volo) vacasset penitùs prima ex vocalibus, & quasi consepulta in sequenti, omni sono caruisset, iocus hic fuisset Poetæ valdè longè petitus, abstrususque, nec ità facilis intellectu, nisi Epigramma scriptis ederetur, & ità distinctè notata vocalis vtraque subijceretur legentis aspectui. Probatnr: Fingamus nobis animo, quòd sonum ità

 simpli-

ſimplicem ederet dictio PRÆDIVM, vt ſola vocalis E audiretur, ac ſi tantummodò his litteris ipſa dictio conſtaret, *PREDIVM*, abiuncto A; ſanè ſuboſcura fuiſſet argutia ſequens: Vnà litterà erraſti; non enim *Predium*, ſed *Prandium* mihi ſuppeditare debueras, o Lupe. Demonſtratur Propoſitionis veritas: nàm, iuxtà vim ſoni, duplici erraſſet in littera; quoniàm in dictione poſteriori incluſæ fuiſſent A, & N, & earum vice in priore fuiſſet inſerta ſola vocalis E; & ita, auricula ſola interprete, & luſus euaſiſſet frigidiuſculus, & minùs verax.

77 *Ratio, cur leuiter enunciãda vocalis vtraq; in Diphthongis Ae, Oe, Ei,*

Iure tamèn dixi, leuitèr vocalem primam, in Diphthongis Æ, OE, & EI, penès Antiquos inſonuiſſe: alioquin diſſoluti fuiſſent, corruptique numeri, ac rhythmi carminum: vt quiſque per ſe poteſt animaduertere, ſi Poetarum lucubrationes euoluat, & ità recitet eorum verſus, vt explicatè, & apertè prædictis in Diphthongis vtranque vocalem pronunciet. Adeoquè hæc ratio me-

cate-

catenat, ac vincit; vt, nulla auctoritatis alienæ ratione habita, meam si sententiam candidè proferre detur, putem omninò, has Diphthongos Æ, OE, & EI eodem planè, vel simili tenore, enunciatas apùd priscos Romæ ciues, qui penès Gallos vsurpatur in pronunciandis, inuicèmq; distinguendis Diphthongis, suprà commemoratis: ità vt potiùs varietatem prolationis eæ sitam haberent, & constitutam in talis, talisuè soni conformatione, nùnc magis, nùnc verò minùs exporrecti, & aperti; quàm in ambarum vocalium absoluta expressione. Nullus est, qui vel exercitè, vel etiàm signatè (vbi loquamur de doctis, & imbutis eruditione aliqua) nesciat in Gallijs, audita dictione POVR, V latam, crassamque sonante, tali pacto diphthongatam, vt vocales O, & V complectatur: & viceuersa, erumpente loquentis è faucibus dictione LEVR, è qua vocalis V gracilior, & acutior erumpit, simùl associatas in eius compositi-

poſitione vocales E, & V. Et hoc modo vna ex parte carpi, caſtigariuè nequeunt, vt irritæ, huiuſmodi Diphthongorum inſtitutiones: ex alia verò nulla ratione corrumpunt muſicum melos orationis, potiſſimùm numeris illigatæ, nec nòn pedibus: & inſupèr patet cauſa, quarè tàm facilè perierint harum Diphthongorum leges, vetuſtis in ætatibus decantatæ; facilè enim perire potuit peregrinarum Gentium, quæ Italiæ plagas obruerunt, voces intèr inconditas tenor ſoni, qui auribus audiri quidèm poterat, chartæ verò, marmori, tabulæue mandari nequiuerat.

78 *Coniectura quæ eruitur ex lingua Æolica.*

Placet tamèn adhùc adoleſcentibus, eruditioni comparandæ deditis, coniecturam vnam communicare, cui ſolum id pretium deſidero, quo prudentum iudicio digna reputabitur. Reperi penès Raphaelem Regium doctis in Commentationibus, queis illuſtrat librum I. Fabij Quintiliani, iſthæc verba: *Ex omnibus Græcorum linguis*

Æoli-

Æolicam maximè imitati ſunt Latini. Tùm Conſtantini Laſcaris præcepta percurrens, de eadem Græcorum lingua facilì methodo compilata, hæc verba offendi ſingillatim de dialecto Æolica: *Sempèr ex AI Diphthongo I abijcit, ſi conſequatur vocalis: vt* ἀλναιος, ἀλναος. Hinc non habeo quidèm adhùc intentum: quoniàm ſi animus foret mihi, hinc aliquid ad rem meam deducendi, debuiſſent Æoles, quorum linguæ ſe ſe captos amore Latini iactabant, in Diphthongis Æ poſteriorem potiùs vocalem, quàm præcedentem amputare. Tamèn datur certè locus generaliter arguendi; quòd Romani ſaltèm potuerint penès Æoles vſum illum imitari, quo in vocibus diphthongatis ex vocalibus AI, alteram ex his præcidere conſueuerant: eamque vnicè ex ambabus truncare prò libito, quæ grata minùs ad aures accideret. Hoc poſito: ſicùt Æoles vocalem I ſupprimebant, quoniàm ſonus præcedentis A, ſe ſolo acceptus, ijs iucundior vide-

videbatur: ità & Romani (nòn enim vnus, & idem lepor eſt, ac rhythmus linguarum, inter ſe toto Cœlo diſſidentium) potuerunt extinguere ſonum eiuſdem A, quoniàm & gratioſior videbatur ſimplex ſonus vocalis E, & ea tollebatur æquiuocatio, quæ iuxtà Latinæ linguæ naturam, Canoneſque fuiſſet oborta, gentis Æolicæ ad imitationem retinendo ſolàm vocalem A. Si Veritati congrueret hæc coniectura, probaret vtiquè, alteram ſolùm ex vocalibus Æolico ritu in Diphthongis Æ, OE, & EI pronunciaſſe Romanos: verùm, vt præmonuimus, valeat quantùm valere poteſt, ac debet.

Quæres III. Quid tandèm, nomine Antiquitatis, intelligeremus; vbi totiès Veteres & Antiquos cùm noſtris ætatibus comparauimus?

79 *Tempora quattuor, in quæ diuidenda Latinitas.*

Ad vberiorem, & minùs prolixam, reſponſionem, redigam hìc in compendium quattuor eos curſus temporum, quorum in interualla, quattuor velùt in anni tempeſtates, Latini ſermonis æta-

ætatem diſtinguit Hadrianus Cardinalis in libello de terſa, politaque elocutione: tùm addam ſtragem vltimam, funuſque Latinitatis, externarum Nationum, queis diù merſa gemuit Italia; intèr procellas extinctæ.

80 *Tēpus Antiquiſſimum.*

Primus curſus dicendus ANTIQVISSIMVS: nàm, ab Vrbe condita, ſua ducens exordia, ad Liuium vſquè Andronicum progreſſus eſt, ea longitudine, quam quattuordecim, & quingentorum annorum fuiſſe Tullius in Bruto teſtatum reliquit. Fuit hæc Aurora, quæ venturę diei proluſit: ſubobſcura profectò, quoniàm nulli datum eſt ex Poſteris deprehendere luminibus, cuius tenoris Eloquentia tùnc floreret; anque rudis, & impolita, an alicuius limæ patiens, & nitidior excoleretur. Quarè Cicero verè dixit, magis licere ſuſpicari, quàm intelligere, an viris doctis ea prima ſæcula redundarent: cùm nulla extarent monumenta, quæ id faterentur, excepta oratione Appij Cæci, nec nòn volumine quarundam

rundam laudationum, mortuos æternitati consecrantium, quod in Originibus Cato commemorat.

81 *Tempus Antiquũ.* Alter, iuxtà succedens, dicitur ANTIQVVS; fluxitq; vix centum æquans annos, inter Andronici ætatem, & aurea tempora, quę Tullium protulere. Et porrò sinè Phosphoro præeũte Sol iste clarissimus haùd prodijt in lucem. Abundauit enim viris id sæculum, omni eruditione refertis, & solidæ Latinitatis primis velùt Architectis: licet, cùm initia semper aliqua cùm imperfectione coniungantur, non ea in ipsis eluxerit castitas linguæ, & tornata munditiеs, quæ paulatim comparata est, & longa studij sedulitate, & experientia, quæ perfectionis est mater. Propterea quanuis iactet Ennium, Liuij Andronici vitæ, & eruditioni proximum; Catonem, Ennij æqualem, cuius orationes à Tullio commendantur in Bruto; Cornelium Cethegum, quem primum Eloquentem idem Tullius appellat: iactet quanuis Neuios, Plautos,

Cæci-

Cæcilios, Pacuuios, Actios, Lælios, Scipiones, Gracchos fratres, Scæuolas, Craſſos, Antonios, Cottas, Philippos, alioſque propemodùm innumeros, quos inſignem in Coronam eàdem quaſi tempeſtate Minerua collegit, modò Patres, modò Veteres, modò Antiquos, & Superiores poſteriori ab ætate Ciceronis nòn ſinè laùde nuncupatos: tamèn in ijs radices primas egit Latinæ linguæ frutex; ac proptereà, ſicùt in radicibus deſiderari ſolet nitor, ac pulchritudo, qua rami, ramorum folia, nec nòn fructus ornantur, ità defuit ipſis ea iucunditas, & elegantia, quam Tullianæ ætatis Eloquentia luculentèr oſtentauit. Hinc idem Tullius eoſdem Oratores ſæpè ſugillat vt minùs ſplendidos, vt rudiores, & ſubruſticos: ſicuti Quintilianus vocat horridos, ac ieiunos; & Horatius duriuſculos, & aliquandò ignauos, hiſce carminibus.

Si VETERES ità miratur, laudatque Poetas,

Vt nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.
Si quædam nimis antiquè, si pleraque durè
Dicere credat eos, ignauè multa, fatetur,
Et sapit, & mecum facit, & Ioue iudicat æquo.

82 *Ætas perfecta Latinitatis.* Tertia demùm successit Latinæ linguæ periodus, quæ PERFECTA debet consalutari; includitque Ciceronis ætatem, verè gemmeam, in qua supremas ad vires peruenit Eloquentia, & Latinitatis cultura numeros omnes impleuit. Hìc enim factus optimus verborum delectus: hìc amputata barbariei, asperitatisque durities: hìc amœnitas comparata perpolitæ phraseōs: ea quidem vbertate Oratorum, eorundemque summa in laude æqualitate, vt vniuersas opes in ingenia tùnc protulisse videantur Ars, & Natura. Quarè ipse Tullius in Tusculanis vix tanta in copia, & felicitate sibi mente augurari sciens perpetuitatem (notum enim

nim

nim eſt, tùnc humana bona decreſcere, cùm ad ſummum creuerint, ſcripſit vaticinando: *Oratorum laus ità ducta ab humili venit ad ſummum, vt iàm, quod Natura ſert in omnibus rebus, ferè ſeneſcat, breuique tempore ad nihilum ventura videatur*. Idem teſtari voluit Horatius, dùm tangit apicem tàm claræ beatitatis (præcipitia ſolent enim montium ſummos apices circumplecti) his carminum numeris

Venimus ad ſummum fortunæ, pingimus, atquè
Pſallimus, & luctamur, Achiuis doctiùs vnctis.

Idem obſeruat, regnãte Auguſto, Solinus: idem Plinius in Varrone: idem Quintilianus in Tibullo, & Virgilio: idem Tullius in Cæſare, Hortenſio, L. Torquato, Piſone, L. Domitio, M. Claudio, & Marcello. Et ſanè fragmenta illa epiſtolarum, quæ viua ſuperſunt, exarata vel à Seruio Sulpitio, vel à M. Metello Celeri, vel à P. Vatinio, vel à M. Bithinio Curione, vel

à C. Asinio Pollione, vel à Decio Bruto, C. Cassio, Gn. Pompeio, C. Mario, P. Lentulo, Cornelio Balbo, alijsque eiusdem optimæ notæ Oratoribus, eum sapiunt facundiæ succum, eamque vegetæ Latinitatis medullam, vt Tullio, si non pares, certè, non audaci contentione, cùm ipso comparandi videantur.

83 Ætas Imperfecta Latinitatis.

Verùm, vt dixi, ruere cœpere Latinitas, & Eloquentia, cùm sublimiùs extolli nòn possent. Succesit igitùr ætas IMPERFECTA, corrupta, & informis, quam deplorauit & Seneca in Prolog. declam. I. ità scribens: *Vt possitis æstimare, quantùm quotidiè ingenia decrescant, & nescio qua iniquitate, & ad malum pronitate Naturæ, Eloquentia se retrò tulerit. Quidquid habet Romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circà Ciceronẽ effloruit. Omnia ingenia, quæ nostris studijs lucem attulerunt, tùnc nata sunt. In deteriùs quotidiè data res est: vt ad summum perducta, rursùs ad infimum, velociùs*

locius quidèm, quàm aſcenderat, relabatur. Huic querimoniæ concinunt Diræ Statij, & Diomedis Grammatici: quorum primus ſenium Latinitatis vituperat, dùm Herois vnius decus celebrat, his verbis: *Manlius certè Vopiſcus, vir eruditiſſimus, qui vindicat à ſitu litteràs, iam penè fugientes*: Alter verò apertè dolet, exclamans: *Iniecit poſtera ætas manum, & veluti diſciplinam priſtini ſæculi, ità ſermonem faſtidire cœpit, & noua veluti parturire verba*. Sique vnanimem Scriptorum omnium ſenſum, ac potiſsimùm Auli Gellij, Cornelij Taciti, Macrobij, Sidonij, Fulgentij, Martiani Capellæ, &c. hac de iactura Latinitatis, & Eloquentiæ, vno luminum iactu comprehendere luberet, percurrantur quæ hac de re collegit eruditè Cardinalis Hadrianus; & profectò cædem Artium tàm nobilium, Capitolinas intèr Laureas, Lector obſtupeſcet.

In Sylu. Ep.

Nequè vno, breuiuè temporis in circuitu ſunt incluſæ labes hę Latinita-

84 Ordo, quem

tis: ità vt hæc potius in præceps, facto manus impulsu, quàm paulatim consenescendo, & defluendo contabuisse dicenda sit. Aruit sanè paulatim: paulatim abijt in vitium: degenerauit in syluestrem naturam paulatim, & ad id elumbe robur redacta est, vt obluctante Septentrionalium Populorum turbine afflicta sit in terram, & penitùs extincta. Ordo autèm, quo hæc accidère, breui verborum ambitu describi potest, licet longo sæculorum sit confectus. Labente anno reparatæ salutis quadringētesimo tertio idem fumus ambitionis, qui Patricij Stiliconis oculos liberalitèr obcęcauit, caliginèm effudit, obtrusitq; in lumina Latinæ facundiæ. Hic enim, vt sibi, & filio Eucherio Occidentalis Imperij Diadema compararet, à Furijs ipsis corrogauit auxilia: Gothosque, ac Vandalos Boreali è Cœlo compulit in Italiam, scilicèt è frigida plaga transalpini Martis incendiarios, bustuariosque Gladiatores acciuit, qui florentissimæ regionis agros,

tenuit hæc incendita labes Latinitatis.

Stilico Gothus

mores,

mores, & iura deuaſtarent. Prima fuit hæc eruptio, Latinæ potentiæ, Linguæque fatalis; quam redintegrauit A. C. 450. longè horribilior, facta è Pannonijs ab Attila, Hunnorum Rege, cùm Gepidis, Herulis, Cumanis, Sarmatis, alijſque gentibus ignoti nominis, & notæ ferociei, fœderato: & ea vi gliſcens, vt ſubactis opimæ Prouinciæ partibus optimis, iterùm maiori cùm detrimento Italorum felicitas obrueretur. Quoniàm mixto magis magiſq; horum ſanguine cùm ſanguine peregrino, adulteratæ ſunt indoles, familiæ, voces, ac nihil integri relictum: afflictatà enim libertate, quæ radix eſt omnis boni, omnia ſimùl inareſcunt.

Attila Rex Hunnorum.

85 Tandèm aliquandò, poſtquàm ſpatio ſexaginta, & octo annorum miſerum in modum Italia ſubactà iacuiſſet, aſſueta priùs imperio, & cultioribus diſciplinis, Narſetis ferro manumiſſa eſt. Annus dùm volueretur 558. cùm perempto Rege Teia, nodus eſt amputatatus, quo sùb Gothico Sceptro

Delentur Gothi, & Longobardi diu ſæuiunt in Italia.

 hæc

hæc tenebatur. Verùm enim verò cicatrix obducta denuò recruduit, quin adeò exasperata est, vt vulnus lethale fuerit factum: & licet Phœnicis in morem, suo è rogo, sæpè prosilierit incolumis Itala Nobilitas, sermonis Latini tamèn vigor omnis, si de natiuo loquamur, euanuit. Narses enim, dùm Iustinus imperaret, vt Augustæ mulierculæ scommata, & acerbos sales in vomentem regereret, Longobardos, Scandiæ ciues, vnà cum Sueuis, Noricis, & Bulgaris ad excidium sollicitauit, & ad Italiæ fata A. C. 574. hinc cineribus agros oppleuit fera Barbaries, funeribus domos, ruinis Templa, ruditate mores, inscitià exedras, & gymnasia; & eò vsquè viguit lues, donèc Carolus Francorum Rex, & Cæsar Occidentis, Magnus cognomine, & re Maximus, Anno 774. capto Desiderio, Rege postremo, deleuit iugum, quamuis ceruicis vlcera permanserint, & corruptæ Latinitatis vmbra, nec non inutilis appellatio, quæ illã dùm præteritam

Sophia Imperatrix.

Longobardi Scandiæ Populi.

tam

tam fatebatur, vulgabat extinctam.
Idem penè factum de Græcorum lingua (si de pura, & genuina sermo instituatur) in Asia, postquam Turcarum, aliarumq; barbararum Gentium irruptionibus hæc obtrita est, teste Volphango Lazio; idemque de Britannica, in ea magni roboris, & nominis Insula, cui demùm hæsit Angliæ nuncupatio; postquàm Romanorum, Saxonum, Danorumque ferro subacta diù ingemuit, si fidem adhibemus Guilielmo Cambdeno, & Michaeli Alfordio.

86 *Ante Barbaros corrupta Latinitas.*

Ex dictis tamèn deducamus, Septentrionalium Populorum Eumenides non expectatas à Latini sermonis flosculis; neque Gothorum, Hunnorum, Longobardorumuè vocibus incultis primùm vexatam Italicæ Palladis eloquentiam. Vix emortuo Cicerone languere cœpit hæc, & deflorescere: & Quintilianus, qui intrà sæculi primi Christiani felices annos inclusus est, & saltèm duorum sæculorum interuallo ab Gothorum cladibus est disiunctus,

hæc iactat de infelici Latinæ facundiæ parricidio: *Dicendi mutauimus genus, & vltrà quàm nobis oportebat, indulsimus.* Et rursùm: *Quid multa? Totus penè mutatus est sermo.* Idem disertè prædicant, vel scribunt, Seneca, Cornelius Tacitus, Apuleius, & Macrobius, qui secundi sæculi sphæram illustrauere: ità vt verissimum sit, antè Barbarorum labes cœpisse inobscurari nitorem Latinitatis, si quidèm penitùs extinctus non est; & propterea nòn tàm Diphthongi sonum, quàm vniuersæ Eloquentiæ leges, antè horum excidia, dissolutas.

87 *Quid Antiquitatis nomine intelligamus.* Habetur II. responsio, adhibenda interrogationi, nobis factæ: Quid intelligamus nomine Antiquitatis? Dicendum enim, duas eas ætates hac voce digito signari; quarum prior præcessit, excepit alia natales Ciceronis: in his enim lapidem Parium tenemus, qui manifestet nobis sermonis Latini castitatem, probitatemque, nèc nòn religiosos Canones Accentuum, Temporum,

rum, Diphthongorumque, Latinis ab Scriptoribus legitimè vſurpatarum: cum è contrario careant his Antiquiſſima, & Imperfecta: illa enim euadit aciem noſtrorum luminum, remota nimis, ac diſtans; hæc verò ſuis in ſeculis, feralibus velùt in Amphitheatris, monſtra potiùs Latinitatis nobis exhibet, quàm verborum delectum, & abſolutam dicendi normam. Adeò ignobilitatis cuiuſpiam acorem aliquandò ſapiunt, & acerbitate crudiuſcula laborant tùm nimiùm vetuſta, tùm nimis noua! Atqui de hiſce queſtionibus hactenùs. Reliqua, nòn minoris momenti, ſtrenuè aggrediamur.

DIATRIBÆ

PARS II.

HAc Prima Parte, quæ potissima est, ac fundamentalis, feliciter perfuncti, transitum exequamur ad Secundam: & aliquot nouitijs ijs ex Obseruationibus, quas Corrigiensis Anonymus Philo-grammaticus Bononiæ postremùm edidit, Nucleos deligamus; ità vt eorum medulla expromptà, omnique tunica excussa, clariùs appareat vitium, labesque, queis laborat iste Zoilus, dùm alienam cutim, sanam, integramq; curare, gestiendo, & vellicando, contendit. Parcemus igitùr Auctori, nòn tamèn ipsius mendis: genus enim quoddam inclementiæ est, in vlcera non deseuire, ad lucra sanitatis.

NV-

NVCLEVS I.

Medullæ vnicæ.

Ex Monitis, Lectori datis pag. 4.

I. *Litterarum inuentio, & potissimùm penès Latinos Æolici Digamma, eiusdemque subitus interitus: quod ignorare videtur Anonymus, minùs exactus in Chronotaxi.*

NE' ab Emmanuele Aluaro, tua fortassis in existimatione (minùs ponderatà, probandàque) Scriptore vulgari, faterere notitiam te traxisse de Digamma Æolico; propterea tanti Auctoris suppresso nomine, solius Quintiliani testimonia fastosè iactas; quæ tamèn ipso ab Emmanuele (libro nimirum 3. de Grammat. Institut. nobis pag. 432.) sagaci dexteritate excudisse te scimus: hominem quidèm auidum fructus, sed Plantæ genitricis nomina

1 Anonymꝰ suppresso nomine Emmanuelis, fastosè iactat Quintilianū: & quare?

mina erubeſcentem. Verùm ne repu-
tes, Anonyme mi Philo-grammatice,
vnico, tritoque è volumine hanc nos
eruditionem tecum edidiciſſe; ante-
quàm longo è ſepulchro ſuſcitatam à
te litteram exſibilemus, rem placet
altiùs repetere, & prima litterarum na-
talia, vel incunabula perſcrutari: hoc
enim pacto conſtabit cauſa, cùr Clau-
dius Digamma Æolicum Romani in
Imperij fines ſit fruſtrà conatus induce-
re; æmulatus eorum gloriam, qui ma-
gno ſe beneficio terrarum Orbem im-
pertire opinabantur, eò ipsò, quòd a-
liqua litterula Populos donarent, ac ſi
nouo aliquo ſidere, manu, & arte ip-
ſorum, Cœlorum Arcus inaurarentur.
Hinc etiam Philo-grammatici genero-
ſus ambitus luce palàm conſtabit: qui
conſepultam, longoque ſitu emarcidam
Claudij litteram magnanimo inuento
reſtaurare nititur, & luci reſtituere:
nempè vt nòn tantùm Diphthongi Re-
paratoris, ſed & litterarum Condito-
ris ſibi nomen adſciſceret: quaſi ve-
rò

rò ſemper Traiani floreret ætas, qua labente, Terra ipſa hoc decus affectans, FVNGOS edidit LITTERATOS.

Ex Xiphill.

2 Primi Litterarum Inuentores.

Eæ ſunt celeberrimos intèr Gentium omnium Scriptores lites, & rixæ de primis Litterarum Inuentoribus, vt magnam prouinciā ſuſcipiat qui ſententias illorum, mutuò diſſidentes, ſimùl conciliare contendit. Ego, vt paucis id expediam, quod longis diſputationum voluminibus nòn pauci confecere, notandum cùm Hermanno Hugone reor, è Soc. Ieſu doctiſſimo hac in re Antiquitatis Iudice, ac ventilatore

3 Poſteri Adam Hebræi fuere primi, qui certà appellatione donarentur.

Primò: Gentem eam primam, quę ab Adamo Protoplaſte per filium Seth, per Noe, per Heber filium Sale, & per Abraham, ad Poſteros Iacob felici temporum, & ſanguinis traductione peruenit, ea prima ætate, quæ ipſum inter Adam, & Noe fluxit, nulla certà appellatione donatam: diſperſa enim toto Orbe vnius erat labij, & ſermonis vnius, quarè nullo certo nomine indigebat, quo è peregrina, vel di-

uer-

uerſa moribus, vocibuſque Natione; ſecerneretur. Tandèm pòſt ſupremas Diluuij clades, fortè ab Heber, nupèr commemorato, Hebræa nuncupata eſt; idque ſibi nomen eo vſquè retinuit, donèc Iacob, Deo imperante, vocaretur Iſrael; tùnc enim vniuerſum in Populum traducta eſt hæc appellatio, dictuſque hic Iſraeliticus.

4 *Varia nomina quæ ſibi comparauit Gens Hebræa.* Secundò: Eandem Gentem, Adami piam Poſteritatem, quæ, vt diximus & Hebræa, & Iſraelitica vocata eſt, penès Hiſtoricos, qui ſparſim in ætatum, ſeriatim ſuccedentium, decurſu vixere, Aſſyriorum, Syrorum, Phœnicum, Aramæorum, Iudæorumque ſibi nomina vindicaſſe: idquè ratione locorum, quos paſſim inhabitauit; vt pluribus teſtimonijs probant, confirmantque Guilielmus Poſtellus, Ioannes Annius, Theodorus Bibliander, alijque nòn obſcuri ſtyli, nominiſque Scriptores.

5 *Vno, eodēq;* Tertiò: Iuxtà Naturæ mores, quæ tyrocinia quædam, & rudimenta exe-

exequi ſolet, antequàm perfecta elaboret, & rerum numeros abſoluat, non omnes omninò Litteras vna, eademque vice repertas; nequè ſingulas apùd Gentes eadem, qua nùnc temporis, figura, & ratione conficiuntur, primùm conformatas. Sicùt enim facile eſt addere incœptis; & nullus eſt, qui ſuopte ingenio ſtudio quodam non teneatur nouitatis, proptereà & amplificatus paulatim earum numerus, & immutata conſtructio, vel delineatio; ſiuè vt communi vtilitati conſultum foret, ſiuè vt labor addiſcentium, monente experientia, imminueretur.

tempore non omnes litteræ ſimul repertæ.

His præmiſsis, tres in particulas hanc Diſſertatiunculam diſiungemus. Prima complectetur dicenda generatim de antiquiſsima, & omninò prima Litterarum inuentione: tùm deſcendemus ſecundò ad peculiares Populos ſingillatim, qui varios hac in re ſibi arrogant Auctores: ac demùm Latina in Lingua diutiùs ſiſtemus calamum; quæq; ſæculorum progreſſu ſint factæ in hac

6 Diuiſio huius quæſtionis.

litte-

litterarum additiones, ad rem noſtram, demonſtrabimus.

7 Diuerſæ Opiniones de primis Litterarum Inuentoribus.

Vtquè Particula à Prima ducamus exordium: Philo litteras ab Abrahamo primùm putat excogitatas: ab Enoch, filio Seth, Ioſeph Iudæus: Euſebius à Moyſe: Clemens, & Cyrillus, ambo Alexandrini, à Phœnicibus, vel iuxtà antiqua fragmenta, à Syris: ab Ægyptijs, Cornelius Tacitus: alij, Diodori in Bibliotheca, ab Æthiopibus. Verùm in hoc, Bibliandri (quem nòn pauci, optimæ notæ, ſequuntur) mihi probatur opinio: qui in Comm. de Litt. Adamo hanc Palmam adiudicat, ità ſcribens: *Primus homo, & Patriarcha totius humani generis, Litteras diuina inductione reperit.* Id cõfirmat Ioãnes Annius in Init. lib. 1. Not. Beroſi, his verbis: *Quòd ab Adamo cœperint Litteræ, & diſciplinæ infuſæ, nòn eſt ex fide tantùm, ſèd etiàm hiſtorià Gentilium, & traditione Chaldæorum: qui ſe Aſtronomiam, & Litteras habuiſſe antè Alexundri Monarchiam tribus millibus,*

bus, & sexcentis triginta quattuor annis asserunt. Erant igitùr in vsu Litteræ, & Ars fusilis mille annis antè inundationem. Quin Angelus Rocha in Comment. Bibliothecæ Vaticanę narrat; In hac, è regione Columnæ parastaticæ, à tergo introitus, pictum esse Adamum, subijcitq; *Suprà huius caput Litteræ Hebraicæ antiquæ leguntur, & ad eiusdem pedes inscriptio Latina in hanc legitur verborum formam: ADAM, diuinitùs edoctus, primus Scientiarum, & LITTERARVM Inuentor.* Iosephus etiam in I. Antiq. cap. 4. tradit, filios Seth, qui Adamo natus est, duabus in Columnis disciplinam cælestium rerum à se primò inuentam conscripsisse: quo apparet, vt obseruat Polydorus Virgilius lib. 1. cap. 8. iam tùm Litteras fuisse, dùm ab Adæ nepotibus earum scriptio exerceretur. Et sanè verisimile iudicandum est, quòd primo à fonte, vndè vitam hauserunt homines, & prima eosdem Scientiarum elementa sumpsisse: omnes-

nesque fructus Litterarum, qui in Posteris maturuerunt, primo omnium è stipite vigorem combibisse.

8 *Mutatio litterarũ, facta ab Hebræis.* Has porrò, ab Adamo institutas, Gens Hebræa, quæ post Babylonicam confusionem iuxtà testimonia Opmerij, Viues, & Sigonij sola proprium idioma retinuit (quo anteà omnes omninò fuerant vsi, Adam, Seth, Noe, eorumque Nepotes) auctore D. Hieronymo cum ijs mutauit, quas ab Esdra (non primo Litterarum Inuentore, sed, vt Opmerius idem notat, Restauratore) nunc temporis habemus: idque plurimi nitidè, & robustè testantur.

9 *Hebræi primi Litterarum repertores consalutandi.* Prima igitur Litterarum scaturigo penès Hebræos collocanda: nam, vt notatum reliquit Gregorius Tolosas lib. 15. de Rep. cap. 1. *Ab Hebræis characteribus aliarum Linguarum, & Nationum characteres efformati, & tracti videntur; paulùm, pro more, antiquitate, & vsu variati, & à rectitudine in aliam delineationem, vel imperitià scribentium, vel alio casu, declinan-*

nantes. Quamobrèm iure, meritòque Postellus sugillat Arabes; qui, vt venturis ætatibus persuaderent, se primos Litterarum prædicandos Inuentores, acceptas ab Hebræis, & figura, & nomine, & ordine, non sinè pudenda ingrati animi notà, perturbarunt. Adeò ingeniosa est Ambitio, vt modum nanciscatur, quo Doctores ipsos aut dediscat, aut erubescat!

10 *Qua successione reliquas ad Gentes, ab Hebræis, traductæ sint litteræ.*

Qua autèm serie, & successione cæteras ad gentes ex prima hac vena corriuarētur, affirmat Hermannus Hugo sub finem capitis 3. pag. 54. (mereturq; non vulgarem fidem tanti hominis opinio, qui hac supèr quæstione strenuè defatigauit ingenium, & longas cogitationes eruditè contendit) existimasse se: Ex Hebræis proximè institutas Chaldaicas litteras, quæ vix extant: tùm Assyrias, seù Babylonicas, seu Syriacas, seù Aramæas, Abrahamo Auctore. Ex his Ismaeliticas, seu Arabicas deriuasse, queis hodieque vtūntur Turcæ, Tartari, & Saraceni: tùm Sa-

maritanas, Syriaca Lingua genitas: & fortè etiàm Gothicas, non valdè his absimiles, quas Ioannes, & Olaus Magni, ambo Archiepiscopi Vpsalenses, diù antè Latinarum primordia fuisse Aquilonaribus familiares, concordi assertione, testantur. Hebræa item à Lingua fluxisse dicit Hugo Ionicam, vel etiàm Atticam, penès Græcos antiquissimas; eandemque à recentioribus vsurpatam. Græcis ponè successisse Latinas, itèm ex Hebraicis oriundas. Æthiopicas, & Ægyptias non ex Hebraicis esse procreatas, sed à figuris, mysterijsque; non enim tàm dicendæ Litteræ, quàm imagines, & sententiarum, aut vocum, symbolica compendia. Quòd verò spectat ad reliquarum Gentium Litteras, definiendum nil certi affert: cùm multa caligine Veritas inuoluatur, & multæ Populorum transmigrationes, mixtionesque mutuæ nodi huius caput tegant. Quarè

11 *Apud Græcos* Ad secundam particulam stylum conuertamus. Et primò quidem ducamus

inus initia è Græcis, qui diù Principes fuere, tùm strenuitate manus, tùm linguæ facundia. Valerius Harpocration, vt habemus ex Lilio Gyraldo Dialog. de Poet. Iones primos in Græcia litterarum repertores consalutat: alij Cecropem, Atticæ Regem: alij Phœnices, qui litteras, ex Ægypto acceptas, ad Pelasgos attulerunt: alij Danaum: alij Thebanum Linum. In partem huiusce gloriæ adsciscitur Palamedes, qui sexdecim nactus dicitur (licet non pauci solius vocalis y, è Gruum volatu ordinato, prædicent Inuentorem; vndè lusit Martialis

Turbabis versus, nec littera tota volabit;

Vnam perdideris si Palamedis auem)

sicùt inuentis alias addidisse Simonides, & Prometheus composuisse, simùlque iunxisse, ab Æschylo reputentur. Plurimorum in sententia Cadmus (quem Phœnicem depingit nobis Clemens Alexandrinus) Græcarum litterarum primus Auctor commendatur, è Phœnicia

litterarum Inuentores.

cia ductarum: licet id reprobet expressè Diodorus Siculus, & robusta natio Historicorum, qui laudem huiusmodi, vt superiùs demonstrauimus, tribuentes Hebræis, alteri non concedunt. Si verò hinc iter aggrediamur in Ægyptum, vbi Tacitus prima locat seminaria litterarum: à Mercurio Ægyptio hìc primùm repertas, & doctas, autumant Plato, Tullius, Diodorus, & Lactantius: Anticlides à Memnone: alij secùs ab Iside Dea: nonnulli ab Anubi Phrygias figurasse fingitur Hercules, domo Ægyptius; & Assyrias Rhadamantus. In Italia, quò à Græcis primùm aliquæ traductæ sunt, à Corinthio Damaratho eruditos Etruscos non pauci narrant: ab Arcade Euandro, vel à Carmenta (aliàs Nicostrata) Euandri matre, Aborigines. Rursùm Gothicas inuentas à Vilphila, vel Gulphila Præsule, refert Socrates. Si Agrippę credimus, repertæ eædem ab Antistite Cordano: sicùt à Methodio Philosopho institutæ Slauicæ; Franci-

12 I' Gregia concedimus alias ad Gentes.

cæque

cæque à Doraco, vel Hictio. Quinimmò quēadmodùm penès Babylonios septingentorum, & viginti annorum obseruationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet Epigenes, grauis Auctor in primis; vel ad minimùm quadringentorum, & octuaginta, vt modestiùs tradunt Berosus, & Critodemus; ex quo infert Plinius æternum litterarum vsum, vel saltèm magis consonè, ac prudentèr Gyraldus, vetustissimum: ità profectò, non minore cum pompa, Annius Vetulonius, aut Viterbiensis, è Dominicana familia insignis Theologus (ex eodem Beroso, qui scripserat in Antiq. *Litteris, & legibus Germanos format Tuiscon Gigas; Celtas verò Samothes; & Celtiberos Thubal*) circà initium Nini, hoc est anno IV. eius Regni, Gallos, Hispanos, & Germaniæ incolas litteras edoctos esse contendit. Idem confirmare videtur Strabo lib. 4. Geograph. Bæticæ scribens: quòd affirmarent Hispani, se litteras accepisse iam antè sex millia annorum

13 *Quid de Babylonys, Gallis, Hispanis, & Germanis aliqui senserint.*

Ibericorum, qui efficiunt duo millia solarium: sique ab Octauiano Cæsare supputes retrò duo millia annorum, ad vigesimum superioris Nini, calculorum ductu, peruenies. Sed vt è tanta rerum farragine aliquid memoriæ mandare possit studiosus Eruditionis, huius particulæ in calce (non enim iuuat eam laxiùs amplificare, cum obscurissimæ Antiquitatis in abysso sæpe fallacias colligat, qui nimis auidè piscatur) versus eos, quos sufficit nobis Crinitus ex Biblioth. Septimanà lib. 17. statuamus: licet, iuxtà dicta, non omninò iudicemus veritati consentaneos.

24 Breue compendiũ, quod memoriæ consulit.

Moses Hebræas primus exarauit litteras.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.
Abram Syras, & idem repperit Chaldaicas.
Isis arte non minore protulit Ægyptias.

Gul-

Gulphila prompsit Getarum, quas videmus, vltimas.

Vt verò particulam postremam succosè, & breui conficiamus: Is certè rerum est, quæ humano pendent ab ingenio, tenor, id fatum, ea conditio, vt quæ rudiora cognoscuntur, reputentur prima: scitum enim est, cunctisque intellectum, vrsam, non semèl pariendo, catulos, sed sæpè lambendo, absolutam in formam, speciemque refingere. Ireneo teste lib. 11. cap 41. *Antiquæ, & primæ Hebræorum litteræ* (istæ, ijs recensis, quæ, duplices, iurè biformes, & finales audiunt, ad viginti septem excreuere) *quæ sacerdotales nuncupatæ, decem fuerunt numero*. Sexdecim fuerunt initio litteræ Grecorum, vt contendit Plinius; vt Aristoteles, octodecim. Duas adiecit Epicharmus, totidemque Simonides; reliquas Palamedes, siuè Pherecydes, siuè Pythagoras. Hos ad gradus haud Sinenses arctantur; apùd quos non pauciores litteræ, quàm voces, numerantur: licet eas

15 *Nunquam mens humana incępit à perfectissimis in Artiũ inuentione.*

inter

intèr se ità componant, vt 70. aut 80. millia non excedant. Id refert Nicolaus Trigaultius lib. 1. cap. 5. Etiàm Nubæ, Africæ populi 47. litterarum notis vtuntur: nequè constat, an paulatìm, an vna, & prima Legislatorum designatione, fuerint institutæ.

16 *Litteræ additæ primùm inuentis penes Latinos.* Et aliquandò vt Latinis in Musæis sistamus trutinam, quæ diù est, ex quo fluctuat inquieta, horum litteraria monumenta ponderare desiderans: *Græcorum imitatione*, inquit Polydorus lib. 1. cap. 6. *hi litteras sex, ad priscas suas duodecim, addiderunt*, K, Q, X, Y, Z, F. Salustius Ludimagister, vt Isidorus lib. 1. testatur, K sumpsit è Græcis: Q, soni pinguioris, quàm C. Licinius Caluus excogitauit: Claudius Imperator (de quo vberiùs infrà in Digamma Æolico, quod instàr vncini secum traxit prolixam hanc dissertatiunculæ non inutilis catenam) X pro C S, vel G S eruditè suppleuit. È Græcis iterùm desumptæ Y, & Z, quarum vsus ijs tantùm viget in vocibus, quas Latinorum

Lingua

Lingua è Græciæ promptuarijs ſua in vocabularia integrè, ſolidèque tradu-xit. Demùm ab Æolibus acceptum Digammon F. vel Ⅎ; ſic appellatū, inquit Raphael Regius in lib. 1. Quintil. *A figura, quòd duplex Gamma* videretur. Ab antiquiſſimis Latinorum, teſte Priſciano, eandem vim habuit, quam apud Æoles: additque Hermannus Hugo, pro PH. vſurpatum, vt Fama, Phama: licet deindè Claudius Cæſar pro V conſonante recipiendum conſtituerit. Nequè tamèn hoc inuento contentus, modum fecit is ſtimulus, qui Cæſaris animum fodicabat; nimirùm Gloriæ calcar, vt intèr litterarum Inſtitutores litteris mandaretur: ſed duas nouas adiecit litteras; quarum prima, auctore Priſciano, & Martiano Capella, fuit Ɔ C, ſcilicèt Antiſigma, pro littera ψ; poſtrema autèm vel X, vt ſuprà narrauimus, vel ſaltèm nota vna, illi non abſimilis, qua prò adſpiratione vtuntur Græci, vti refert Vertranius Maurus ſe didiciſſe Romæ ex

Velio-

Velio Longo, in libello MS. de Orthograph.

17 Verùm vt ad Digamma redeamus, cuius vſui Philo-grammaticus Corrigienſis ſe ſe religiosè addicit ſuis in Obſeruationibus, tanquàm litteræ, Latino Vocabulario neceſſariæ, ad diſtinguendam V Conſonantem ab V vocali, quaſi bifurcę anchoræ, quę nauim Orationis reparet è naufragio: De ea loquuntur Suetonius, cap 41. in Claudio: Cornelius Tacitus lib. x1. Hermannus Hugo de Prima ſcribendi Origine, cap. 4. Emmanuel Aluarus lib. 3. Diomedes lib. 2 Angelus Rocha in Biblioth. Vatican. Lipſius in Tacit. & Iulius Scaliger lib. 1. de Cauſis Linguæ Latinæ cap. 7. Cur autèm (ſeriò te compellare iam lubet, mi Anonyme) maximo cum rei litterariæ detrimento auſus es, nullius Viri celebris in Arte Grammatica prælucente tibi auctoritate, hoc Digamma ex tenebris in ſolem reuocare, & iunioribus proponere vſurpandum? qua id fronte tentaſti?

Digamma Æolicum.

quo

quo consilio, qua mente? Certè scio ex Tacito, Claudio ipso adhùc viuo, nec non imperante (Philo-grammaticus tamèn de antiquato Digamma agens, hæc solùm habet: *Se bene già posto in disuso*; quasi verò diù suam post institutionem viguerit, & tantùm post multa secula contabuerit. O egregiam sanè Chronotaxim!) Latino in Imperio hoc Digamma obliteratum, extinctum, & consepultum; & vnà cum reliquis duabus, supra commemoratis litteris, repudiatum, quia superuacaneum, vt refert Raphael Regius, visum esset. Scio expunctum, exsibilatumque. Scio, instar erratici vaporis, post breue spectaculum, euanuisse: quià luce indignum elementum illud iudicabatur, quod ad vocum ædificia nullatenùs conduceret; verùm potiùs discentium memoriam grauaret; volumina, iam scripta, inobscuraret; gymnasia scientiarum verteret in theatra luctantium, vbi violenta, & inutili contentione, nullius spe palmæ, erat continentèr

18 *Ext inct m Digamma viuente Claudio, à quo fuerat inuentū.*

Velio Longo, in libello MS. de Orthograph.

17 Verùm vt ad Digamma redeamus, cuius vſui Philo-grammaticus Corrigienſis ſe ſe religiosè addicit ſuis in Obſeruationibus, tanquàm litteræ, Latino Vocabulario neceſſariæ, ad diſtinguendam V Conſonantem ab V vocali, quaſi bifurcę anchoræ, quę nauim Orationis reparet è naufragio: De ea loquuntur Suetonius, cap 41. in Claudio: Cornelius Tacitus lib. x1. Hermannus Hugo de Prima ſcribendi Origine cap. 4. Emmanuel Aluarus lib. 3. Diomedes lib. 2 Angelus Rocha in Biblioth. Vatican. Lipſius in Tacit. & Iulius Scaliger lib. 1. de Cauſis Linguæ Latinæ cap. 7. Cur autèm (ſeriò te compellare iam lubet, mi Anonyme) maximo cum rei litterariæ detrimento auſus es, nullius Viri celebris in Arte Grammatica prælucente tibi auctoritate, hoc Digamma ex tenebris in ſolem reuocare, & iunioribus proponere vſurpandum? qua id fronte tentaſti? quo

Digamma Æolicum.

quo consilio, qua mente? Certè scio ex Tacito, Claudio ipso adhùc viuo, nec non imperante (Philo-grammaticus tamèn de antiquato Digamma agens, hæc solùm habet: *Se bene già posto in disuso*; quasi verò diù suam post institutionem viguerit, & tantùm post multa secula contabuerit. O egregiam sanè Chronotaxim!) Latino in Imperio hoc Digamma obliteratum, extinctum, & consepultum; & vnà cum reliquis duabus, supra commemoratis litteris, repudiatum, quia superuacaneum, vt refert Raphael Regius, visum esset. Scio expunctum, exsibilatumque. Scio, instar erratici vaporis, post breue spectaculum, euanuisse: quià luce indignum elementum illud iudicabatur, quod ad vocum ædificia nullatenùs conduceret; verùm potiùs discentium memoriam grauaret; volumina, iam scripta, inobscuraret; gymnasia scientiarum verteret in theatra luctantium, vbi violenta, & inutili contentione, nullius spe palmæ, erat con-

18 *Extinctum Digamma viuente Claudio, à quo fuerat inuentū.*

tinentèr

tinentèr magiſtris pugnandum, vt diſcipulorum magis in mente, quàm tabellarum in cera, nouitia littera ſtylo ferreo, rigidoque inſculperetur. Dum ſtat adhuc viua Latinitas, & nondùm ſuo fato ſuperſtes, inſtàr vmbræ, parentat, exterminatur Digamma, vt ſuperfluum, vt publico bono graue, vt inane commentum: & exterminatur, cum regnat adhùc Cæſar inuentor, nec ad eius perpetuitatem prodeſt tot litterarum, quas primis, & antiquiſſimis Romæ videmus adiectas: & poſtquàm obcalluit Etruſca Lingua, & eas tantùm Latinæ ſtillas haurimus, quas mortuorum Oratorum nobis fluenta ſuppeditant, nititur Anonymus exulantem litteram poſtliminio reuocare, quin extinctam, nouo quodam temeritatis miraculo, ad contumelias, & probra ſuſcitare? Credas monenti: hoc corrumpere eſt typos: confusè miſcere elementa vtcunque è ſenio reparati Latini ſermonis: Corrigij demùm ſtatuere Cathedram, quàm deteſtetur Eloquentia.

quentia. Vtquè vera me candidè tibi ad aurem fari videas, relicta exemplorum congerie, qua possem hic argugentari, vt hoc nouitium Digamma igni damnaretur, considera verba illa Isidori lib. 1. Origin. cap. 26. de Sicilico: *Vbi litteræ consonantes geminabantur, Sicilicum superponebant, vt Sel'a, Ser'a As'eres; prò Sella, Serra, Asseres: Veteres enim non duplicabant litteras, sed suprà Sicilicos apponebant. Dictus autèm Sicilicus, quòd in Sicilia inuentus est.* Iam ad rem nostram. Laudaresne illius machinas, quas moueri sentires, vt Sicilicus denuò luci committeretur, & cunctis è dictionibus in posterum duplicatio consonantis eiusdem, seuero edicto, relegaretur? Verè huiuscemodi Auctori tale Elogium, meo iudicio, deberetur, quale describit Petronius in Satyr. ab Eupolmio contextum: *Impleuit*, inquit, *Eupolmus frontem vtriusque ingentibus litteris, & notum fugitiuorum Epigramma* (hoc est, Caue à fugitiuo) *per totam faciem, libera-*

19 *Paritas ducta à Sicilico.*

liberali manu, duxit. Verùm enim verò, relicto Æolico Digamma ijs in tenebris, quibus parens Augustus vix genitum damnauit: & exporrecta palma consalutatis ijs reliquarum litterarum Institutoribus, quos hìc in vnum coegimus, vt eidem Digamma iusta, nempè parentalia, celebraremus: nouos Nucleos expromamus, breuiores, at fortasse gratiosiores, quorũ in despoliatione, decorticationeque amœnè ludamus.

NVCLEVS II.

Unicæ medullæ.

Ex Obseruatione §. I. pag. 5.

I. ***Vocalis V. fit regulariter Consonans, alia subsequente, non præcedente, vocali.***

20 Mal. titur suo Digam.

ET porrò vtinàm Philo-grammaticus suum Digamma, (non Claudij Cæsaris, quod sapienti Romanæ Gentis

gentis imperio cæsum, tumulatumque, si valuerint prudentum consilia, non amplius reuiuiscet) cum sale, & concinnè, luci tradidisset! Verùm quàm malè id exequatur, Obseruatio tùm §. I. tùm VIII. abundè testatur. Se enim hic nullatenùs intelligere demonstrat apertissimè, quid sit Diphthōgus, quid V vocalis, & V consonans. Id probatur eiusdē expressa confessione, & minimè negabili. Carpit nostrę pronūciationis vim, & normam, vt mancam, & imperfectam in Diphthongis AVT, HAVD, CEV, & SEV, quià imitatur eam rationem soni, qua vocales AV, & EV penès non pauca Longobardię Oppida proferuntur in dictionibus *Aurum*, *Thesaurus*, *Causa*, *Eugè*, & *Europa*: & ideò carpit, & reprobat, quòd itèm referat eum soni modum, quo vocales VE, VI, & VA in vocibus *Agaue*, *Nauigium*, *Eua*, *&* *Euangelium* solent communiter enunciari. Eccè quale litterarium Chaos confecit hìc Philo-grammaticus! Si puer primis

21 *Confu-*

sio obi-ta ab Anonymo.

in rudimentis leuitèr exercitus, Propositionem hanc ſibi è dentibus extundi pateretur; nonne ab Anonymo ſplendidè vapularet? Primò illum interrogo: Quonam pacto poterit Garanias, vel vltimus Æthiops, nedùm Longobardus, ſyllabas haſce binas AV, & EV diphthongatas, ea vnquam ratione pronunciare, qua proferret ſyllabas, Diphthongo carentes, VE, VI, & VA? Ego ſanè ſomniare neſcirem: quoniàm in prioribus vox ſempèr vniſona emergit loquentis è labijs, & ſemper neceſſariò deſinens in V, cuius ratio, & conformatio iuxtà Quintianum Stoam Epograph. 1. cap. 26. omninò hæc eſt.

V Facit os ſtrictum: ſic pomula labra fatigat.

In cæteris verò incipit ab V (ſi recta fiat ſyllabarum diſtinctio) & vox deſinit in E, I, & A: de quarum vocalium ſono, longè diuerſo ab eo, quem iacit vocalis V, hæc Stoa præcipit.

E Paulùm preſſa profertur gutture lingua.

I Lin-

I Linguam impellit collidi dentibus imis.

A Sub directo memorabilis oris hiatu est.

Igitùr vnum, eundemque ſonum ſuſtinere nequeunt voces priores, ac poſteriores. Secundò: Primis in vocibus *Aurum*, *Theſaurus*, *Eugè*, *&* *Europa* vocales A, V, & E conficiunt Diphthongos, eo planè modo, quo conficere ſolent in particulis AVT, HAVD, CEV, & SEV. Quis enim hùc vſquè Scriptor, ſingulis Diphthongorum in ſpeciebus, indiuiduales etiàm ea diligentia, & ſeueritate obſeruauit, vt vna ſubſtantialiter diſſidere dicenda ſit ab alia, licet ambæ ad eandē claſſem pertineant; atquè hæc V. G. AV in HAVD intèr legitimas Diphthongos retineatur; illa verò v. g. AV in AVRVM, vti ſpuria, voces inter eas ablegetur, in quibus V fit Conſonans? Igitùr vtrobique par concedenda pronunciatio. Si negetur Conſequens: diſparitas aſſignetur, non ar-

22 *Demōſtratur id vlterius.*

 bitra-

bitraria, & constituta in alicuius semiuiri mucida opinione, aut enunciatione: sed in ea, quam ponderatè præcipiunt Lycurgi Grammaticorum, à nobis Prima in Parte in vnum congregati: ità nempè vt & vnica fiat syllaba, & in vnum mixtum sonum vocalis vtriusque vis coeat. Tertiò: Ad hoc, vt consonans euadat V. debet in eadem syllaba (officit enim ad hanc regulam syllabarum diuersitas, ac diuisio) alteri vocali præire: vbi licet à Poeta soluatur aliquandò à socia vocali, & seruetur in Specie Consonantium, tamèn secùs communitèr accidit, vti monet Scopa cap. 33. Epograph. I. notans, quinimmò in ancipitem, vel neutrius generis, aut Classis aliquandò mutari, vt neque sit Consonans, neque vocalis: idque demonstrat, & exponit cap. 45. agens de littera Q. Sed in dictionibus *Aurum*, *Thesaurus*, *Causa*, *Eugè*, & *Europa* nullam post se vocalem patitur V: patitur è contrario in vocibus *Agaue*, *Nauigium*, *Eua*, *Euangelium* (si nimirùm singil-

23 *Quando vocalis V. fiat Cõsonans*

ſingillatim per ſe conſiderentur ſyllabæ VE, VI, VA, & VAN, vt debent conſiderari) Igitur diuerſo modo à primis enunciandæ ſecundæ: illæ quidem ſono mixto, vt diphthongatæ: hæ ſimplici, vt immunes à Diphthongo. Eccè igitur noua cauſa, cur debuerit Anonymus à Digamma abſtinere: vt potè notà, quæ à miſello ſuſceptam, ſupèr vi, & natura Diphthongi, æquiuocationem magis dilucidè manifeſtat, ac prodit. Audierat fortaſſis homo, eruditione reſperſus, Childericum, Francorum Regem, vti tradit vnà cum Aimonio lib. 3. cap. 42. D. Gregorius Turonenſis lib. 3. cap. 44. quattuor Græcorum litteras Ω. χ. †. & Θ. ſuorum Populorum in tabulas traduxiſſe. Audierat, Cadmum, Phœniciæ Principem; Cęcropem, Atticæ; Eubœæ, Palamedem, ipſius Græciæ Lycæa nouis litterarum elementis ornaſſe. Audierat, id tentaſſe Claudium, Orbis vniuerſi Caput, Arbitrumque: quarè inſtàr Alexandri Macedonis ſe ſe Theſeum

24 Noua ratio, cur debuerit Anonymus à Digamma abhorrere.

 parem

parem Regibus opinatus, cum Regibus hac in laude certare voluit, & Italiam Æolico Digamma, vetusto ex marcore, situque euocato, nec non Bononiæ in lucem edito, impertire: Corrigiensiumque nomini hanc Gloriam comparare, cuius beneficio cum immortalitate coniungeretur. Verùm enim verò palmaritèr allucinatus est honorum venator industrius: nesciebat .n. litterarum fœtus arescere sæpenumerò, suorumque Agricolarum spes fallere, cum imprudentèr excolerentur. Loco C. substituere G. primus inter Latinos conatus Sp. Carbilius, Grammaticorum Alpha, cymbalumque Pædagogorum; vt elegantèr obseruat Illustriss. & Excellentiss. Petrus Franciscus Passerinus, Philosophiæ, Iuris vtriusq; & S. Theolog. Doctor Colleg. Sereniss. Parmæ, & Plac. Ducis Consiliarius à Latere &c. Sol Eruditorum in Zodiaco: Laureatorum in natione Princeps: Apis Attica in flore Sapientum, singulorum succo diues, scilicèt omnium

25 *Infelix successus, quem sunt passi plures litterarum repertores.*

spiritus,

ſpiritus, & compendium, Part. III. Schediaſmatum Academicorum p. 325. licet, auctore Plutarcho, mos iſte ſpurius mox ſit antiquatus. Quos lapides mouit (nec multùm abfuit, quin moueret contrà ſuum caput) Claudius Centinianus, vt litteram S. pro canina R. vſurparetur? ità vt non iam *Furÿ, Valerÿque*, ſed *Fuſÿ, & Valesÿ* in poſterum dicerentur. Sed execrata Roma Momum nouatorem, os importunum ſilentio damnauit, & ad Sigma Heliogabali, vbi muſcæ Conuiuis apponebantur: quoniàm Sigma Latinum tàm ſtrenuè amauerat. Quid dicam de Arrio illo Catulliano, qui fortaſsè perpeſſus cordis anguſtias, plus æquo delectabatur aſpirationibus, quarè haſce paſſim vocalibus pręfigens

Chommoda dicebat, ſi quandò commoda vellet

Dicere: & hinſidias Arrius, inſidias. dignus profectò habitus, qui cum Chamæleonte veſceretur, auræ inanis helluone, ac paraſito, dum vanas aſpiratio-

 ratio-

rationes ridendà iactantià deperiret? Quid denique de Floro, qui Diphthongali ſono ſummoperè recreatus, Auguſto vt perſuaderet, neruos omnes intendit, vice O. ſcribendam, pronunciandamque eſſe ſyllabam AV. v. g. *Aula*, prò *Olla*? Et ſanè, vt eruditè hominis inſipientis curaret inſaniam Cæſar, poſtridiè ad ſe aduentantem, non *Florum*, vti conſueuerat, ſed *Flaurum* ſubridendo appellauit: ità vt penès Aulicos, benè auritos, excitato cachinno, infelix Diphthongiſta relictà AVLA, non ſinè rubore, ad OLLAM remearit. Sed iam paucis nouos Nucleos exenteremus.

NVCLEVS III.

Quintuplicis Medullæ.

Ex Obſeruationibus Anonymi in Articulos I. II. III. & IV. §. II. pag. 6. & 7.

I. *Retractatio, obita ab Philo-grammatico, supèr Diphthongi vi, ac natura.*

II. *Diphthongorum à Monophthongis diſcrimen, ab eodem minimè intellectum.*

III. *Delendum Canis, & Felis hac in re Magiſterium, imprudentèr inſtitutum.*

IV. *Entitas realis modalis, in litterarum compoſitione, gratis excogitata.*

V. *Popelli ſenſus à Philo-grammatico nunc exploſus: nunc inconſtantèr in auxilium ſui ſedulò adſcitus.*

I. INitio Obseruationis, qua ponderat exactè Philo-grammaticus Articulum I. nostri §. II. tandèm aliquandò abiurat, detestaturque sententiam, quam de Diphthongi natura hucusque mordicùs propugnauit (vti fusè demonstratum est quattuor ijs Conclusionibus, quas Diatribæ nostræ Pars I. complectitur) duas iam in syllabas non ampliùs soluendo, sed vi Argumentorum ad id incitante, duos partiales in sonos, qui vnicam syllabam forment, hac solemni confessione, nobis apprimè gratiosa: *Noi lasciando l'vna è l'altra vocale nell' esser loro di vocale, le facciamo di due suoni, vniti in VN TOTALE SILLABICO*. Quin immò inferiùs alio in membro Obseruationis, habitæ super Artic. II. sonos earundem vocalium, Diphthongon componentium, non ampliùs simplices, absolutos, & exporrectos (licet alibì pristina sanie madeat, ac sibi ipsi contradicat, vt suo loco examinabimus) quo pacto

26 *Retractatio Philo-grammatici super duplici syllaba Diphthongorum.*

pacto cadit ad aures ſonus vocalis V. in aduerbio *Vtinam*; ſed retuſos , ac fractos, vt ſentit Valla, idque teſtatur Anonymus his verbis: *Habbiamo ſempre creduto, di poter nel Dittongo, rettamente pronunciato, arriuare coll' orecchio l'vna e l' altra vocale, ſenza eſſential mutatione, benche non ſenza QVALCHE DIMINVTIONE DI SVONO.* Hìc nihil ſuppetit nobis , quod addamus; calculo enim noſtro ſynceram retractationem Philo-grammatici probamus : quam vtiquè, quodam præſcio mentis inſtinctu, Philo-grammaticus ipſe ſuarum Animaduerſionum initio, ſuperiori pag. 57. primùm Regij Lepidi editarum, ſpe, & mente concepit, dum ſe ſe ſemper optaſſe , hoc apertiſſimo teſtimonio, fatetur: *Non alienum exiſtimaui ab ea, qua te proſequor, obſeruatione , ſi veritatis amore ſuccenſus tuas partes in re litteraria quandoq; deſererem. Quòd quidèm modò non niſi ægerrimè, & prorsùs inuitò , coactuſque facio in pronunciatione Diphthongorum*

AV, &

AV, & *EV*; *quam tamèn ita ſum amplexus, vt, tui amore, NVNQVAM NON OPTARIM ESSE FALSAM.* Et licet in Obſeruationibus, poſtremò Bononię cuſis, ore tenùs ſe ſe neget noſtris argumentis penitùs profligatum, an illuminatum? his verbis, quæ pagina 3. includit: *Ma non reſtando da quella* (ad Apologeticam noſtram Determinationẽ hęc dictio refertur) *conuinto il mio intelletto, e perciò non potendoui far vedere colla pronta diſdetta, quanto in paragone della Verità io mi ſprezzi l' opinione del Volgo &c.* tamèn re ipſa exequi voluit, tactus religione, quod ſuæ famæ ſtudio abominari ſe ſimulat. Et ſanè ex adducto Philogrammatici teſtimonio abundè obtinemus intentum: nimirùm Diphthongi vocales ambas vnicam coire in ſyllabam, duoſque tantummodò partiales ſonos, ſcilicèt obtuſos, ac fractos, ſimùl ambas edere, ſimùlque copulare: licet ob rationes, Num. 58. ſuperiùs allatas, nos vice verſa *Vnum ſonum* (quod

tandèm

tandèm cum hac posteriore Philo-grammatici sententia, genuina, ac verissima coincidit) ex duobus incompletis, & in vnum conspirantibus, mistum dicere, ac sustinere malimus. Quamobrem hìc multis supersedemus, quoniam hoc in Puncto, in quo sita est summa rei, iam conuenimus.

27 *In quo discrepet Diphthongus à monophthongo.*

II. Superest vt aliquot alios scrupulos tollamus è medio, in quos impactus Anonymus casum denuò minatur. Obiectat nobis I. quòd V in Diphthongis AVT, HAVD, CEV, & SEV faciamus Consonantem; ac propterea in ordinem Monophthongorum Diphthongon redigamus. Anonymi in mentem verba Guarini, aliàs à nobis commemorata, & commendata, ad plenissimam responsionem, & obiectæ difficultatis exterminia, sat fuerit reuocasse. *Differt*, inquit ille Floro, *à Monophthongo Diphthongus, quòd hæc duas habere vocales, illa vnicam duntaxat cernitur: vt EOA, vbi tres monophthongos esse deprehendis.* Quis vnquàm

quàm probæ famæ, ac fidei Scriptor testari poterit, vnicam nos ad vocalem nostris in thesibus, vocibusue duas illas redegisse, quæ in Diphthongi ædificio simùl associantur? Nonnè eo ipso, quòd ambas vnum in corpus, Compositumque colligimus, nectimus, conglutinamus, ambas relinquimus intactas (sed non integras, hoc est soni completi, exporrectiuè) viuentes, & sonoras? Partes enim, simùl iunctas, vnio non extinguit: at potiùs, vt vigeant, & animentur, efficit. Ergò Diphthongum non redigimus ad Monophthongon. Hinc apparet meridiana luce nitidiùs, quàm impropriè in Obseruatione Artic. IV. §. V. pag. 11. dum ponderat Philo-grammaticus nostram de vocalium in eadem Diphthongo mixtione, conglutinatione, & conspiratione, opinionem, hunc in modum exponat: *Essendo la conglutinatione, e conspiratione tanto necessarie allo spirito del Dittongo, ne potendosi vdire senza la dissimulatione di vna vocale, perciò &c.*

28 *Quàm impropriè nostram sententiã exponat Anonymus.*

Deus

Deus immortalis! Quis primo Deucalionis è lapide homuncio tàm rudis, ineptuſque proſiliuit, qui hanc explicationem, aut interpretationem, non ſomnians, meditaretur! Loquimur formaliter, vt ipſe Anonymus haud diffitetur, de miſtura, de conglutinatione, & conſpiratione, cum ſexcentis, Arte in Grammatica, laureatis: & hac ex locutione excudit, deducitque, inauditæ vi Dialectices, quòd vnam è Diphthongo vocalem expungamus, extrudamus, elidamus! Quænam partes, mi Anonyme, dicentur à nobis conglutinari, in vnum conſpirare, coire, miſceri, ſi altera es ijs pereat? Vel ſtipes id cognoſceret. Hinc iure, meritòque, re, ac veritate malè percepta, ſecum reputans hic illuſus Auctor, nullo ſanè cum fundamento, quòd v. g. in dictione *Æquor* ita ſupprimamus alteram Diphthongi vocalem, nempè A, in prima ſyllaba concluſam (& verè aliquantulùm pronunciandam, ſi religiosè loqui lubeat: licet, vti noſtris in Theſibus I-

talicis

talicis vltrò monuimus, iam subticeatur vitio corruptelæ, in Latina locutione inueteratæ, quod clariùs expressimus in solutione Quæsiti II.) vt superstes sit vnica vocalis E, mirabundus exclamat: *Non potendo noi capire* (in vna nimirùm simplici littera, ab ipso somniata) *conglutinatione di suoni, siamo costretti à replicare quello, che già dicemmo, cioè di non saper troppo bene ciò, che in questo particolare voi vi vogliate dire*. Ambabus vlnis concedimus totum. Si enim & nos, & vim veram Diphthongi comprehenderes, Anonyme, lis omnis esset dirempta. Et licet Diphthongorum AE, OE, & EI sit facultas abstrusior, quia nostra hac ætate sonus illarum simplex est, & instàr Monophthongi; tamèn quid blaterare conceditur, aut hiscere de Diphthongis AV, & EV, vtriusque vocalis sonum inpræsentiarum retinentibus: ità vt in stàr monstri sit futura in ijs alterius ex vocalibus, ipsas componentibus, dissimulatio, vel reticentia? Quæ pars in hi-

in hiſce à loquente deuoratur, aut glutitur, ità vt lateat, & extinguatur? Profer; ſi quidèm tenes; aut abiura vniuerſalem eam obiectionem, quam de vnius vocalis in Diphthongo ſuppreſſione, imaginario è neruo, in noſtrum caput eiacularis. Vocalem verò V à nobis in eadem Diphthongo neutiquàm fieri Conſonantem, ſatis, ſuperque probant dicta in Nucleo II.

29 *Ridiculum Canum, Feliūq; hac in re magiſterium.*

III. Ad Canes, Feleſque tandèm, neſcio qua deſperatione adactus, lumina conuertit, & verba Philo-grammaticus, vt ſibi concilientur in auxilium: ità vt quemadmodum cantus Anſeris Capitolini, Romanam Arcem ab hoſtili poſſeſſione ſeruauit incolumem, ità Baubatus primi, & alterius Gnaugnatus caput inerme noſtris tegat ab Argumentis. Noueram quidèm, ab Caio Caligula, Occidentalis Mundi belluino Rectore, inſigni Equo, nomine Incitato, ità ſtultos honores exhibitos, vt ipſi fuerit deſtinatus Vrbis Conſulatus; quaſi verò Auguſti illi faſces brutali

dorso aptarētur. Sciebam, supremi Principatus in solio Nubas, Africæ Populos, obsequia eadem olim præstitisse Cani, quę Regi deberentur. Audieram, catello Perseo, insperatè mortuo, penè illachrimasse Paulum Æmilium, Latij Martem: sicuti extinctam murænam diù luxit Hortensius, Rostrorum, Forique Iupiter: ac si pisciculo, catelloque obeuntibus, Latini Cœli sidera occidissent. Verùm hucusquè minimè intellexeram, ad exedras, & pulpita Pręceptorum, Canes, Felesque sublatos: quos eccè sui Collegas, Diphthongorum in declaratione, inaugurauit Anonymus! Ehem! Meminerit iste, domorum ianuis olim inscriptum: *CAVE CANEM*, quod lepidè refert Petronius. Quorum ergò Baubatum implorat, caueat morsus. Si autèm ad Feles stylum vertamus: horum silentium, non voces, sapientèr obseruat lib. 10. cap. 73. Plinius, Naturæ perscrutator eruditissimus, isthæc scribens: *Feles quidèm QVO SILENTIO, quàm leuibus*

vesti-

vestigijs, obrepunt auibus! quàm occulto speculatu in musculos exiliunt? Noster verò Sophus, penitioris meditationis extimulante studio, Diphthongi rectam pronunciationem, relictà murium venatione, & auicularum, clamitantis è gula expiscatur; vultq; illius vocales eodem rictu, sonoque proferendas, quo hic, incondito eiulatu, Gnau Gnau modulatur. O Siren amœna profectò, Latinæ locutionis blanda præceptrix! Quis vnquàm existimasset Antonios, Catones, ac Tullios, castigatæ, castæque Facundiæ splendida prodigia, tali Musa auspice, flectendæ vocis artem, longæ obseruationis beneficio, combibisse? Quis corruptę, Scythicę Gentis intèr labes, Latinitatis restauratricem hanc Mineruam sibi mente reputasset? Quis ex Ægypti aris hanc Diuam in Italicas Academias, ac palæstras litterarias inuexit? Ad Formicam nos amandat Sapiens diuinus, vt animalculi prælucente exemplo, Prudentiæ dogmata condiscamus: ad Felem verò

nos accersit Anonymus, vt hoc moderatore locutionis doctos ambitus aptè, & concinnè temperemus: dumq, ille ieiuno ventre, ac querulis faucibus mensarum obsonijs insidiatur, nos interim sonos diphthongorum edoceamur, & vnam in syllabam vocalis geminatæ consortia ritè concludamus. At verò quì redigetur vnam in syllabam Diphthongus AV, si GNAV Felis imitetur, sæpenumerò longissimas moras prima in vocali A dissonè trahentis, immenso propemodùm interuallo, ab V, iuxtà sequenti, diuulsa? Rideret mehercule Heraclitus ad talè magisterium! & vtinam Athanasius Kirkerius, nostri æui Archimedes, & Pythagoras, Matheseos Oraculum, & symbolici, harmonicique melos optimus Censor, qui sua in Musurgìa vel natiuos Brutorum sonos musicam ad mensuram traduxit, Bau, & Gnau Catelli, Felisque religiosiores ad numeros illigasset! scio .n. quòd & ipse Philo-grammaticus, obtundente sibi aures ea cantiuncula, quam

quam ad rectam Diphthongi enunciationem ratur opportunam, vel huiuſmodi prototypum ſuo damno execraretur; vel ineptum, ſcurrilemque ad rhythmum vehementes in cachinnos effusè ſolueretur. Iure igitùr Ricciolius pag. 38. eximiè ſcripſit: *Hoc documento* (belluino nimirùm, inſulſoque) NON INDIGEMVS!

IV. Quod ſpectat ad entitatem realem modalem, quam in Obſeruatione Articuli II. ſibi fingit intèr conglutinatas Diphthongi vocales, earumq; ſonos, Anomymus, hac Propoſitione: *Se parlando della Conglutinatione, che nel* §. 8. *Articol.* 2. *chiamate formale, v'intendeſte di quella preciſa REALITA', ò QVALITA' MODALE, ſecondo la quale i due ſuoni vengono detti conglutinati; veramēte, per udirla, ſi richiederebbono orecchie Metafiſiche:* non eſt cur diutiùs immorer, exſibilando; ſatis enim penès omnes Philoſophicæ rei gnaros conſtabit ex terminis ipſis peregrina nouitas, & ridenda contradictio,

3° Gratis admiſſa à Philo-grāmatico entitas realis modalis intèr ſonos Diphthongi.

 quam

quam sibimet obtrudit, vt aliàs obseruatum est. Suis enim in Animaduersionibus has voces CONSPIRATIONIS, CONGLVTINATIONIS, & MIXTVRÆ metaphoricè, & impropriè affirmat vsurpari: & easdem modò reale vinculum, modalemque nodum iactat includere. Quonam pacto sunt vnà, simùlque compossibilia prædicata hæc: Coniunctio abusiua, & vnio, coniungens extrema, realis? conspiratio, vel conglutinatio impropria; ac entitas, ad membra, mutuò discreta, licet merè metaphorica, simùl componenda, modalis? Preterea sonus, qui est qualitas, à corpore percutiente producta in corpore percusso, mediante motu vibrationis, vt egregiè docet R. P. Syluester Maurus Soc. Iesu. Quæstion. 44. de Auditu, & Audibili, & ab eodem motu distincta, ità gignitur, & ad vnum se solo determinatur, & in sua vi successiua se solo continuatur, vt omninò superflua dijudicari debeat hæc modi realitas: maximè cùm vnus sit, licet

licet æquiualétèr, ac virtualitèr mixtus, vti ſæpenumerò monuimus, hærentes doctiſſimorum Grammaticorum ſententiæ: & ità vnus, iuxtà Inſtitutorum mentem, & eam conformationem oris, ac labiorum, quę fieri debet ab enunciante, vt ſuperuacaneæ multiplicationi locus haud detur.

V. Anonymi rursùs inconſtantiam textus duo declarant, & aperiunt, mutuò pugnantes; quos hìc ad huius Nuclei perfectam euiſcerationem coniungo. Primo ſuarum Obſeruationum in limine pag. 3. ſe ſe Diphthongorum in pronunciatione ſuam noluiſſe abdicare ſententiam dicit, vt palàm demonſtraret: *Quanto* (de ſe loquitur) *in paragone della Verità io mi ſprezzi l'opinione del Volgo*. Deindè in Obſeruat. Artic. IV. vt in nos arma valida contorqueat, ſugillat noſtræ tenorem enunciationis, quia factæ: *Contra l' vſo POPOLARE delle più colte Città, e Prouincie d' Italia*. Quandò tandèm aliquandò in vnum conuenerint

31 *Sibi palàm cõtradicit Anonymus.*

rint huius Auctoris asserta, & à bello ciuili cesserint, poterimus in campum progredi; à quo nunc abstinemus, nescientes, quid impugnandum, vt nobis aduersans; quid propugnandum, vt nostræ menti concordans.

NVCLEVS IV.

Sextuplicis Medullæ.

Ex Obseruationib. Anonymi in §. III. & Articulos I. ac II. §. IV. pag. 8. 9. & 10.

I. *Sonus Vocum penès Oratores, & Poetas dissimili rhythmo minimè vsurpandus.*

II. *Recentiores librorum impressiones, aliquo de nomine, antiquioribus anteferendæ.*

III. *Palàm canit Palinodiam Philo-grammaticus circà mentem, & suffragia R. P. Ricciolij.*

IV. Cor-

IV. *Corruptio in Diphthongis, obita penès Latinos: cuius in examine Chronologiæ regulas parùm accuratè tractat noster Anonymus.*

V. *Ipsius noua retractatio de sonis earundem: nec non Vossianæ opinionis praua expositio, ac interpretatio.*

VI. *Bedæ laus, cùm aliqua æquiuocatione coniuncta: ætas obseruata neglig entèr; quod antè fuerat executus circà ætatem Emmanuelis Aluarez: & assertio, extrà rem iactata, non sinè manifestis repugnantijs, in ipsum Anonymum robustè militantibus.*

I. NOstræ Opinionis ad robur, & fulcrum acciuimus in medium Poetarum auctoritatem, quorum in texturà, rhythmoque carminum, vnicum profectò in sonum Diphthongi voca-

32 Absurda Anonymi Propositio de rhythmo

carmi- num.

vocales arctantur. Ad hoc extenuandum, infirmandumque, hæc iactat Anonymus: *I versi de' Poeti, per grandi, o sublimi, che siano, non danno, ma riceuono quello spirito di pronuntia, che loro è dato*. Primò: Sensum Auctoris certè inuolucro quodam obscurissimo implicat hæc identica, & malè consarcinata Propositio: *Non dant carmina Poetarum, sed accipiunt, spiritum pronunciationis, qui datur ipsis*. Si enim aliundè adiungitur ijs hic spiritus, & ab extrinseco imbibunt, quis consequentèr neget, quòd minimè dent? Nonnè idem accidere dicendum & solutæ numeris Orationi? Quamobrèm Vatis instàr debeo potius hìc dicenda diuinare, quàm dicta explicare. Si ergò velit Anonymus, diuerso se se modo habere tenorem dictionum penès Oratores, ac penès Poetas, insignitèr errat: quod experiri datur Etrusca in Poesi, vbi voces diuersam rationem, conformationemque minimè profectò ostentant, ab ea, qua enunciantur in soluto sermone

mone; alioquin à paucis, ijsque solùm eruditis, possent carmina recitari, quòd omninò falsum est. Et sanè Aristoteles, qui Famiano Strada teste, & comprobatore, Oratori nouitio frequentem lectionem persuadet Poetarum, punctum veritatis non esset assecutus: quo enim modo iuniori Scholastico profuisset ea lectio (quæ instàr cibi nutrit legentis ingenium) si quidèm diuersitas soni vtrobique foret obeunda, non sinè periculo confusionis, qua teneræ mentes adolescentium solent facilè laborare? Verùm ad rem nostram audi Despauterium, docentem lib. 2. Versificat. pag. 13. *Vbi autèm EVS, per Diphthongon, vbi EVS per duas syllabas legi debet, diligenti Poetarum lectione discendum est.* Eccè ad benè percipiendos Diphthongi sonos, de quibus hìc loquimur, ad Poetas nos amandat Doctor egregius. Ergò quid hiscis? Quarè non satis te cognoscere affirmas Ciceronis Canonem, à nobis §. IV. commendatum, erutumque

ex lib. 1.

ex lib. 1. de Orat. *Poeta est finitimus Oratori, numeris adstrictior paulò?* Nonnè sentis, has angustias Poetarum, in limitata pedum mensura esse constitutas; & indè progigni discrimen, quod eos secernit ad Oratoribus, huiusmodi mensuræ minimè addictis: cum interim inter vtrosque par vigeat locutionis norma, & æqualis forma pronunciationis?

33 *Quo de nomine recentiores impressiones antiquioribus præferendæ*

II. Nouitias quòd Calepini impressiones commendare videar, & à priscis abhorrere, in Obseruatione Artic. 1. §. V. mussitas, nasum torques, & obluctaris. Verùm nullus est, vt reor, qui nesciat, aut neget (vt superiùs non vna vice animaduertimus) facilè Nepotes addere Auorum incœptis; nullus enim partus est ingenij, quem experientia nõ perficiat: & nihil adeò è capite humano, aut nisu, prosilit absolutum, quod temporum cursu, ac successione magis perfici nequeat. Artes omnes id testantur, in Orbe terrarum celebres; quas vt plurimùm, ruditèr inuentas, paulatim per-

fecit

fecit curiosa, & accurata Posteritas. Quamobrèm & Volumina, potissimùm eius generis, quæ multas rerum farragines amplectuntur, vt facit suo in Thesauro, vel Vocabulario, Calepinus, sempèr nouarum additionum sunt capacia: ità vt propterea felicior, & pretiosior illa debeat æstimari vt plurimùm impressio, (vbi cętera aptè sibi respondeant) quæ fuerit recentior, atquè postrema. Si amas prima, mi Philo-grammatice, rerum rudimenta, quarè Plantas intèr eas potissimùm quæris, quæ non quidèm teneræ, mollesque, prima solùm vice fructum aliquem edidere: sed robustas, ac fertiles, quæ tertia, quarta, & vigesima scatent innumeris? Ieiunè cœnat Lurco, qui primà (vt adagio fertur Italico) contentus est Cauponà.

III. Sedenim hæ leuioris ponderis tricæ, in quas pedem intulit Philogrammaticus: nodum habeo, ex quo, non nisi deplumatus, elabetur. Descendo ad Obseruationem Articuli I. ad §.

34 Retractat dicta Anonymus.

V per-

V pertinentis. Hìc vt eluderet telum, quod torſeram contrà Calepini teſtimonia, ab ipſo turgidè obiecta mihi, dicens: Exemplar tanti hominis, contrà me iactatum, olere antiquitatem, hæc regerit: *Del reſto, ſe l'Antichità, come nelle ſtampe ſecondo voi, coſi negli Autori faceſſe impreſſione (cauatone il P. Riccioli) vi trouereſte, quando anche fauoreuoli, male aſsiſtito, &c.* Ergò concedit apertè hìc Philo-grammaticus R. P. Io: Baptiſtam Ricciolium meis partibus adeſſe, vnicèque illum ex meis Patronis poſſe dici recentiorem, ac huius ætatis Auctorem. Igitur dilucidè canit Palinodiam, fortaſſis, vt nos emulceat, & ab ſtyli tractatione diuellat. Suis enim Primis in Animaduerſionibus ſecùs de tanti Viri animo ſenſerat, inter Scriptores, ſibi propitios audactèr illum recenſendo, his verbis: *Nec ab his* (nempè Capharo, Scopa, Terentiano, Gretſerio, & Pergameno, quos pro ſe coaceruat, licet gratis, & ſinè fundamento, poſtremum ſi exci-

piamus

piamus) *discrepat P. Ricciolius, qui sua in Prosodia, &c.* Igitùr sic arguo; Vel subsistit, & firma est hæc vltima confessio Philo-grammatici, de mente Ricciolij, vel non: Si secundum: ergò nulla fides adhibenda ipsi est, dum falsa profert. Si primum; ergò vel canit ille Palinodiam, vel in meas partes vltrò concessit. Id demonstratur. Vel enim prius dicta reijcit, & retractat, dùm, quem sibi dexterum anteà reputabat, in præsentiarum vulgat hostem, mecum fassus esse coniunctum: Vel accessit opinioni meæ: si enim vtrique nostrum adest Ricciolius, igitùr Philo-grammaticus, & ego in vnum conuenimus, non enim tanti iudicij Scriptor duabus sententijs, vno, eodemque in obiecto mutuò dissidentibus, potest ęqualitèr, eodemque tempore, patrocinari. Ergò vel ille meam se vertit ad partem, vel ego, pristina mente abdicata, Philo-grammatici sectator audio. Sed nullus perfrictæ licet frontis nebulo, vel scurra cauillari

profectò

profectò me poterit, vt antiquæ sententiæ desertorem: nec vlli iactare licet, quòd vnquàm dixerim, Patrem Ricciolium adesse Philo-grammatico: ergò ille, non ego, suauissimè cecinit Palinodiam.

35 *Minùs accurata Chronotaxis Philo-grammatici.*

IV. De Diphthongorum, Accentuumque corruptela, immò verò vniuersæ Latinæ Linguæ excidio, quod passa est, & paulatim vidit Italia, egimus abundè superiùs, dum satisfaceremus Quæsito II. Verùm non expectauit, vt ibi probatum est dilucidè, Barbaros Transalpinos hæc labes, atquè corruptio: cùm, vix extincto Tullio, contabescere iam cœpisset flos omnis Latinitatis, anteà liberalitèr excultæ, & in marcorem solui. Mirari tamèn hìc datur magis, magisque Philo-grammatici oscitantiam: qui dùm eruditionem neruis omnibus affectat, se se maximè prodit in eruditione tractanda minùs diligentem; Latinis in Animaduersionibus pag. 61. affirmando, cladem Latinitatis, à Barbaris editam *annis abhinc ampliùs octingentis*; & in Obseruationibus

nibus p. 9. annis, ab *hinc plusquàm millenis*, contigisse. Quæro à Philo-grammatico: Si quis me interrogaret: Quot annorum cursus fluxit, ex quo Rodulphus Imperator, Stipes Augustus Austriadum, extinctus est? Et ego responderem: Annorum plusquàm ducentorum euoluta summa est, ex quo perijt felicissimus ille Cæsar, maximæ, & coronatæ Posteritatis splendidum seminarium. Probaretne ille responsionem hanc, cum propemodùm fluxerint quadringenti? obijt enim potentissimus Monarcha A. C. 1291. Iàm redeo ad rem nostram. Theodosius I. cognomento Magnus, in Hispania nascitur A. C. 345. Abit è viuis 395. Theodosius II. dictus Iunior, Arcadij Filius, & nupèr commemorati Theodosij Senioris nepos, editur in lucem A. C. 401. Augustus nominatur 402. Naturæ concedit 450. Vandali, & Gothi Borealibus è Regnis in Italiæ fines deuocantur à Stilicone, origine Gotho, qui sibi, & Flau. Eucherio Filio Tyrannidem

affectabat, & Imperij gubernaculum, labente A.C. 403. & tùnc decimus agebatur, ex quo Honorius fuerat à Genitore inauguratus Augustus. Igitùr, exactè ratione ducta, mille, ducenti, & sexaginta quattuor anni numerantur, ex quo Barbari Cisalpinas Italiæ Prouincias ingressi sunt. Vtquè id memoriæ mandetur expeditiùs, propter eà sequenti in tabella, paucarum linearum ductu, dicta concludimus.

36 *Tabella Chronologica, & Genea-*

FLAV. THEODOSIVS I. MAGNVS

logica Theodoſij.

natus in Hiſpania A. C. 345.
obijt Mediolani A. C. 395.
Ex Ælia Placilla, & ipſo geniti

Arcadius
Imperator Orientis
natus in Hiſpania
A. C. 377.
Auguſtus appellatus
à Patre A. 383.
Obijt Conſtantinopoli A. 408.
Ex ipſo, & Eudoxia
Auguſta editur

THEODOSIVS II.
dictus Iunior
Conſtantinopoli natus A. C. 401.
Auguſtus à Patre appellatus A. 402.
Obijt Cōſtantinopoli A. 450.

Honorius
Imperator Occidētis
Conſtantinopoli natus A. C. 384.
Auguſtus à Genitore
appellatus A. 393.
Obijt Romæ A. 423.
Vxores illi fuere
MARIA,
&
THERMANTIA
ambæ Filiæ
STILICONIS
Qui
Gothos, & Vandalos
acciuit in Italiam
A. C. 403.
Theodoſij Iunioris
ſecundo.

Ergò Philo-grammaticus, vt ad rem, & accommodè loqueretur, scribere debuerat: Vltrà duodecim (non autèm octo, vel decem) sæcula lapsa sunt, ex quo in Barbariem degenerare cœpit, Barbarorum fatali colluuione, Latinitas.

37 *Noua Philo-grammatici retractatio de vi Diphthongi.*

V. Vtquè ab examine Chronotaxeos redeamus ad Diphthongos, quæ sermonis nostri diuersis tractibus centrum statuunt: Iterùm Philo-grammaticus ab suscepta, circà illarum pronunciationem, via discedit, in eiusdem Articuli II. Obseruatione, hac suæ mentis obita expositione: *Bastandoci per hora dar loro due caratteri nello scriuerli, e due tempi metrici, nel proferirli.* Primùm enim in Animaduersionibus, Regiensi è prelo vulgatis, duas in Diphthongo, vt fusè Pars I. huiusce Diatribæ demonstrauit, syllabas requirebat; duobus in sonis, procreatis ab duabus vocalibus, Diphthongon eandem conficientibus, inclusas. II. Hac opinione, vt absurdissima, postrema vice,

cum hac

cum hac de re quæstionem institueret Bononiensium Commentationum in editione, se se abdicans, in Obseruatione Articuli I. ad §. II. spectantis (idque ostendimus suprà Num 26. Nu- III.) reiectaque syllabę duplicitate, solùm duas vocales, duosq; sonos in Diphthongo retinuit. III. Demùm hìc stylo inuerso rursùm dicta retractat: & extrusa gradatim duplicitate syllabæ, vocalis, & soni, contentus est, ad essentiam Diphthongi sustinendam, duabus litteris, duorum temporum mensuram secum ferentibus, vnam syllabam longam nimirùm conficientibus. Igitùr, si quis vocalem V diphthongatis in dictionibus *Aurum*, & *Autèm* verti assereret in Consonantem, eodem pacto, quo vertitur in his vocibus, *Veni*, *Vidi*, *Vici*, nil absc ederet ab ampla, laxaq: hac Conclusione Anonymi, postremùm edita: reperire enim daretur primis in syllabis diphthongatis superiorum duas litteras, ac duo tempora, quemadmodùm inueniuntur in

38 *Absurda quæ parit opinio postrema Philogrammatici.*

tur in primis posteriorum. O' quæ oborta repentè liberalitas in homine, priùs intèr paucos tenacissimo! Sed liberalitas importuna, atquè splendor intempestiuus! Nàm huiusmodi definitione admissa, quæcunque tandèm syllaba longa duabus constaret litteris, ea posset dici Diphthongus. Quo audito, quid dicerent de nouo hoc Legislatore Priscianus, Stoa, Despauterius, verenda Grammaticorum laribus nomina, si viuos intèr numerarentur? Immòuerò, quid diceret Dialectice; quid grauitèr efferret Ars Oratoria, seueras eas regulas, & religiosa statuta, queis Definitionis probæ arctarunt essentiam, adeò exaggerata, laxata, ac euersa contemplantes ab homine, qui vt arctioris viæ se se sectatorem venditaret, à Brutis ipsis documenta mendicauerat? Nequè minùs absurdè, eiusdem Obseruationis in ambitu, sententiam Vossij de Diphthongorũ corruptela interpretatur, quàm de earũdem natura ipse disseruerat. Corruptela enim

39 Opinionem Vossi malè interpretatur.

Diph-

Diphthongi, vt corruptela est, non nisi ea in tempora reijci potest, in quæ incidit vniuersæ Latinitatis labes, & vitiosum inquinamentum. Id probatur, iuxtà dicta ad Quæsitum III. Non enim congruè ratiocinaretur, qui Tertiam numeratis ibi ex Ætatibus capacem corruptelæ, labisque auderet appellare: in qua scimus florem omnem, fructumque Latini sermonis viguisse, ac quidquid nitoris, & elegantiæ combibere potest Eloquentia, tunc vbertim, ac luculentèr hausisse. Igitùr hæc Diphthongi corruptio accidisse dicenda ea fluente prorsùs ætate, quæ à nobis vnà cum Emenentissimo Hadriano vocata est IMPERFECTA. Vt autèm sinè vlla caligine vis omnis eluceat Argumenti, referamus verba eadem, queis hanc corruptelam adumbrat, & expingit stylus ipse Philo-grammatici. Primò refert hanc theticam Propositionem Vossij: *Valdè vitiosa est vulgaris Diphthongorum pronunciatio, tùm apùd Græcos, tùm apùd Latinos:* deinde subdit

dit: *Prouato questo suo detto quanto a' Greci, viene alla corrotta pronuntia de' Latini, la quale con autorità inuestigando nella mutatione dell'antico AI in AE, così raccoglie: Nempè vt vicinus est sonus vocalium E, & I; vndè herè, & heri; crastini, & crastinè dicebant, sic AI facilè commigrauit in Æ, vt Terrai fieret Terræ.* His positis, retrò vertamus pedem: & ostendamus manifestè hanc Diphthongi corruptelam fieri non potuisse ea ætate Latinitatis, quam sibi fingit Anonymus, dicta à nobis IMPERFECTA. Superiùs narratum ex Guarino (idque ijsdem propemodùm verbis confirmant reliqui omnes Grammaticorum Antesignani) nonnullos, penès Veteres, Græcorum more, vsurpasse frequentèr vocalem I prò E, vt notare licet in his casibus generandi Declinationis primæ, *Vestai* prò *Vestæ*; *Mensai* prò *Mensæ*; *Venai* prò *Venæ*. Hincque factum esse, vt Maro, vt potè vir ANTIQVITATIS AMANTISSIMVS, idem omninò exequeretur in

40 *Radix ostenditur erroris, à Philo-grammatico perpetrati.*

tur in dictionibus *Aulai*, nec non *Pictai*, prò *Aulæ*, & *Pictæ*, studio quodam imitandi Priscorum ritus. Ergò hac ex veritate constat, dici nullo pacto posse, quòd hæc corruptio (si quidèm corruptio est, nequè potiùs nitidior quædam corruptæ locutionis emendatio, vt inferiùs affirmabimus) ea ætate contigerit, quam vocauimus mancam, & Imperfectam, in quam nimirùm, velùt in scopulum illisa, & impacta Latinitas, miserè est dissoluta, & in vitium abijt. Id demonstratur. Dùm floreret Maro, & flueret Ætas Perfecta Latini sermonis: iuxtà cuius aureum cursum continentèr successit Imperfectæ labes, dictiones *Aulai*, & *Pictai* vsurpauit ille, vt antiquas iamdudùm, quin & antiquatas, vtquè amatorem se comprobaret verendæ Vetustatis. Ergò antè Maronis sæculum, vice vocalis I, introducta iam fuerat E, & loco desinentiæ Græcanicæ in AI, vsurpabatur, Latino more, desinentia in Æ. Igitùr huiusmodi desinentia

nentia non est in vsum traducta ætate labente Imperfecta, quæ non præcessit Maronis ætati, sed successit. Ergò (progrediamur vlteriùs) non est hæc vocanda clades, aut labes Diphthongorum, sed iusta redintegratio, & absolutam ad formam reparatio. Probatur: Temerarius audiret, & Cynicus loculuteius, qui eam in ætatem menda sermonis inuehere conaretur, & corruptelam Latinitatis, quæ potiùs, expurgata omni Linguæ adulteratione, miram eiusdem castitatem curauit, floremque omnem enutriuit cultissimæ Eloquentiæ. Sed Maronis ætas huius temperiei fuit, ac tenoris: & si quid vnquàm Latinitas splendoris, atq; amœnitatis est assecuta, tunc obtinuit, ac peruenit ad summum: Igitùr est nefas, & piaculum, id reputare. Asserendum ergò est, vt aptè differamus, eo temporis in tractu, qui à nobis cum Cardinali Hadriano superiùs ad Num. 78., & 79. dictus est Antiquissimus, cuius impolito in interuallo adhùc rudis

41 *Id, quod vitium vocat Anonymus, est perfectio pronũtiationis.*

42 *Quando vsurpata vocalis I pro E.*

dis Latinitas nondùm eas ad methodos, ac Leges fuerat redacta, ad quas florente Tullio redactam ſcimus: cum adhùc nimia obſeruaretur Græcæ Linguæ, vt potè ſuperioris origine, ac magiſtræ, imitatio, vocalem I prò E in dictionibus, ſuprà numeratis, & ſimilibus, vſurpatam. Sic affirmauimus paritèr, duplex G G vice litterarum N G in vocibus *Diphthoggus*, & *Aggelus* priſcos ſupplere conſueuiſſe; eo profecto more, qui Latinæ locutionis regulis, perfectiorem ad limam expolitis, eſt poſteà obliteratus. Hinc apparet, minùs veridicè ſcripſiſſe Voſſium, dùm corruptam eam deſinentiam vocauit, quæ conſonantior viſa eſt, & ſuauior ijs Latinitatis optimæ Conditoribus, qui beatæ illius ætatis ornarunt curſum, auram fortunauère, illuminauère diuitias, quæ aurea, perfecta, & Eloquentiæ Latinæ fauſtiſſima nutrix, ore omnium deprędicatur. Nequè verò, vt nodum euitet, dicat Anonymus: ſe Latinitatis, & prauæ pronuncia-

43 *Omne ſubterfugium*

praeciditur Anonymo.

nunciationis corruptelam, à Vossio vituperatam, nullo modo in ætatem eam Imperfectam corriuasse, quæ Tullij sęcula excepit, & paulatim in informes abortus, quin & in monstra concedens, Borealium Barbarorum intèr arma, & impias colluuiones penitùs in vitium fluxit. Quoniàm stylo suo sibi hoc pręcludit iter: antequàm enim Vossij verba proferret, sequentem præmiserat ex R.P. Ricciolio narratiunculam: *Circà tempora Theodosij cæpit Gothorum, ac Vandalorum incursionibus Latinæ, & Gręcæ Linguæ puritas in Barbariem paulatìm degenerare.* Hac expositâ, subdit, paucis interiectis: *Non vi aggraui però l'udire ancora Gherardo Vossio, si perche parla di QVESTA CORROTTA PRONVNTIA, che voi riconoscete per effetto de' più delicati, e tersi vditi: sì perche &c.* EccèTheodosiana tempora manifestè appellant dictiones, *Di Questa corretta pronuntia*, de quibus ex Ricciolio querelas paulò antè obiuerat, ob Latinæ locutionis de-

prauatio-

prauationem, à Barbaris perpetratam. Ergò verè exiſtimauit Anonymus, mutationem vocalis I in E longè antè Virgiliana tempora confectam, Theodoſianà tempeſtate contigiſſe. Quo quid abſurdiùs, quid inconcinniùs, quid magis à veritate alienum, remotumque poteſt animo excogitari?

VI. Demùm, relicto Voſſij Muſæo, concedit in Lycea Bedæ Philo-grammaticus, vt popelli rumuſculos captet, & audiat Eruditus. Verùm nequè miſello deſunt hìc obices, in quos pede impacto aut fluctuet, aut collabatur. Primò quidem minùs diligenti trutina laudem eam perpendamus, quam cum nomine Bedæ coniungit. Phœnicem inter ætatis ſuæ Sapientes illum dicit: quæ profectò commendationis nota, ſana mente, & manu ſcripta, capiti eius hominis benè inſculpitur; qui omnium Scientiarum flore delibutus, clariſſimam eruditionem cum inſigni pietate ſociauit, nec magis Religionis prærogatiuà, quàm litterarum poſſeſſione, VENER-

44 *Bedæ laus quare laboret in Philogrammatico?*

NERABILIS nuncupationem Posterorum in linguis, tabulisque promeruit. Idem nos cognomentum tribuimus Eminentissimo Cardinali Pallauicino, Doctorũ Apici, & Apollini Purpuratorum, in Parergo I. §. III. nostri Examinis pag. 91. is enim laudum cumulus, queis florere solet Heroum mens, tanto in Viro collectus enituit, tùm Naturæ, tùm longæ disciplinæ beneficio: natalium claritas: Honorum splendor: in agendo prudentia; grauitas, & cultura morum: in re Rhetorica, Philosophica, Ethica, Politica, Historica, ac Theologica egregia peritia: Fortunæ studium, ac prompta securitas: summorum Principum beneuolentiam in venando dexteritas, & felicitas: dignitatum, nisi summum, certè summitati proximum, culmen: sanctissimæ vitæ coronis, maximo cum plausu, Christianis in Aulis celebrata: in scribendo delectus, & nitor; quem iuuit ipsa vis Argumenti, Orbi vniuerso, & potissimùm Orthodoxæ Ecclesiæ gratiosa,

& salu-

& ſalutaris (eiuſq; illuſtri textura omnium in ore, animiſque ſempèr habitabit, perennabit, cum circulari ætatum ſucceſſione reuiuiſcet) vt propterea Phœnix, quià vnicus ſui ſæculi in circulo tot dotium intèr ornamenta, iure dicendus emicuiſſe. Quamobrèm ſi Philo-grammaticus, eiuſdem cognominis decus vſurpando, Ijſdem rationibus nixus eſt, & eiuſdem ratiocinationis baſi ſua verba commiſit, nihil eſt quod addamus, caſtigemus, imminuamus. Verùm quià docti experientia iam ſæpenumerò cæſpitantem ſuis in dictis, ac propoſitionibus intelleximus, fæculentum, & à veritate non ſemèl aberrantem, propterea non ſinè fundamento huius laudis ad ſpeciem hæremus ancipites. Si ergò fortaſſis Anonymus, quòd minimè audemus affirmare, Phœnicem ſuæ tempeſtatis nominando Bedam, vnicum reputaret, qui, coęuos intèr, litteras altè calluerit, & Sapientiæ penetralia felici pede triuerit, operæ pretium futurum iudicamus,

45 *Doctores, queis redundauit ętas Bedæ; necnon eorum cumu-*

lus Sapientũ, queis ętates eidē proximæ, fulsęrunt.

dicamus, si breuem in fasciculum eos omnes collegerimus, qui Scientiarum thesauros vbertìm tenuere, tùm illarum ætatum labente cursu, quæ Bedanæ fuere proximæ; tùm eiusdem in Sphęra, quàm Beda ipse pijssima sua Pallade illuminauit. Et quoniàm hæc fuit octaua, quæ fluxit faustissimis à natalibus diuini Seruatoris, vt infrà demonstrabimus, exordiemur à septima. Ista sanè eo de nomine fortunata, quo octauum Cœlum beatitate quadam donatur, ob vim, copiamque siderum, Diuos numerauit Isidorum Hispalensem, Sophronium, Eligium, Eugenium, & Idelfonsum Episcopos: Esaiam, & Aldhelmum Abbates: Ioannem Moschum: Antiochum: Berengosum: Anastasium Præsulem Nicenum: Georgium Pisidem: Martianum Capellam: Ioannem Stobæum: & Ennium Banchorensem, omnes aut Ecclesiasticæ Reip. Patres, aut politioris litteraturæ eruditione Principes. Octaua verò ætas, cuius in curriculo strenuè palmam tenuit

nuit

nuit Beda, præter hunc, iactat Diuum Damascenum; Vsuardum; Antonium Melissam; Albinum Flaccum; Paulinum, Aquileiensem Antistitem; Ionam Monachum; Paulum Diaconum; Tattuimum; Iglacum; nec non Cudbertum Magesseum, quos cultioris Mineruæ fulgor efficiet seculorum omnium in mente conspicuos. Neque minori fæcunditate ornata est ætas, quæ excepit octauam: quasi verò certatim tempora conatus magnos obirent, vt Sapientiæ exequerentur Autumnos. Hæc enim vidit, & amplexa est D. Theodorum Studitem; Angelomum; Strabum; Aymonem Episcopum; Freculphum; VValafridum; Metaphrastem; Anastasium Bibliothecarium; Paschasium; Ambrosium; Ansbertum, Leonem Sapientem: nec non Rabanum, Hincmarum, Adonem Viennensem, Amalarium, Ionam Aurelianensem, Photiumque sacros Præsules: ac demùm Michaelem Psellum, Ioannem Friugenam, Alfredum Regem,

Gildam Banchorensem, Eginhardum, Theophanem, Vandelbertum, & Bristanum Croylandensem, viros celebres calamo, circinoque; & aut Theologia, aut Philosophia, aut Eloquentia, aut Historica laude spectabiles. Quamobrèm si fortè allucinatus errasset Anonymus vnius Bedæ ad spectacula; tot illustrium Scriptorum in luce, vti sperare fas est, omninò lumina recuperabit.

46 Secundò: Minùs exactè Bedæ obseruauit ætatem Philo grammaticus; dum iuxtà eiusd. nomen hunc calculum expressit in margine: *Fiorina del DCC.* Idque vt clariùs demonstretur, notandum est: Omnium, qui callent eruditionem, vnanimi suffragio tunc dici florere Scriptores, Scientiarum commendatione inclytos, cum famà sapientiæ sibi iam comparatà congestas litterarum opes luce palàm expromunt, hominumque notitiæ commendant: non autèm, dum adhùc viridi in ætate constituti neruos actu intendunt, vt liberalium

Ætas Bedę parùm diligēter à Philogrammatico notata

ralium

ralium Artium possessione ditentur. Quamobrèm iure affirmabimus, tunc Hortensios, tunc Marones, tunc temporis effloruisse Tullios, cum calamo, & lingua iã celebrari, facundiæ, vel solutę, vel numeris vinctę, plausus egregiè colligebant, & Latini Imperij marmoreas in tabellas, & æra iam mouebantur. Examinemus ergò paucis, an aptè cadat, & congruat ætati Bedę vis locutionis, ab Anonymo vsurpatæ. Ex Bedæ eiusdem testimonio, quod de se affert ad calcem Historiæ Gentis Anglorum, Anno labente DCCXXXI. ab ipso confectæ, colligit Cardinalis Baronius, Annalium Tom.IX. pag. 79. Num. 30. sequentem calculum, quo tanti Auctoris annos, si non omnes, saltèm eos, qui cæterorum fuere basis, metiri licebit. *Maneat igitùr* (inquit sacer Scriptor) *in primis, quod ipse ait, quinquaginta nouem annorum ætate fuisse hoc anno Redemptoris DCCXXXI. nimirùm hoc anno absoluisse 59. inchoasse verò sexa-*

gesimum: sicque ipsum natum anno Domini sexcentesimo septuagesimo primo: traditum monasterio anno septuagesimo octauo, post sexcentesimum: ordinatum Diaconum sexcentesimo nonagesimo: presbyterum, vbi primùm attigit tricesimum annum, qui fuit Redemptoris septingentesimus, vel septingentesimus primus inchoatus. Indè modico ab hisce interuallo, nempè Num. XXXI. itèm ex verbis eiusdem Bedæ, deducit, ipsum inter viuos permansisse vsque ad annum DCCLXXVI. & vixisse centum quinque: quod probat & Gabriel Bucellinus in monastico Menologio ad diem vigesimam septimam Maij, quæ Venerabilis Doctoris, excepit obitum, siuè executa est feliciter immortalitatem. Iam ex hac meta flectamus lumina primos ad carceres. Vigesimum, & nonum numerabat annum Beda, absoluto vix sęculo septimo; tuncq; supremum Sacerdotij gradum fertur assecutus. Septuaginta sex annos huic superuixit; ita vt, vbi valeat Baroniana supputatio,

47 *Probatio nostræ Censuræ.*

T tatio,

tatio , vnum ſupra viginti luſtra Bedæ vita complectatur. Hac ratione temporum ducta, ſi religiosè roger, & chronologicè definire tenear, quo anno tandèm floruerit Scriptor eruditiſſimus, æquè ac Sanctiſſimus, num congruè reſpondebo, dicens: Anno labente ſeptingenteſſimo floruiſſe, nempè conficiente curſum ſæculo ſeptimo, quando nondum quartam vitæ portionem, obſcurus adhùc, exegerat, & primùm Sacerdotali chriſmate inunctus fructus eos tantummodò promittebat, quos maturior ætas coxiſſe dicenda eſt? Ehem! Non iuuentutis; at iudicij, ſapientiæ, & famæ de flore quęritur, cum interrogamur legitimè, ac prudentèr: Quonam anno, quoue ſæculo vir inſignis, & hominum per ora decantatus, fauſto Vere floruerit. Propterea non anno ſeptingenteſimo; ſed quinquageſimo ſuprà ſeptingentiſſimum, quando adhuc viginti, & ſex anni ſupererãt, quorum in tractu magis, magiſque cana ſapientia iam noti Herois obmatu-

rescerer, floruisse Bedam, mihi erat respondendum, aut tibi, Anonyme, scribendum: vt ego sano modo loquerer, tuque scriberes opportunè. Idque optimè obseruauit oculatissimus Theophilus Raynaudus Chronologico in Breuiario; vbi non quidèm sæculi septimi litterata intèr lumina, sed octaui, Bedam recenset; ne iniuriam afferat ætatibus, & iniustè thesauro fortunet vnam, quo alteram iniquè spoliauerit. Nullam hìc exactiorem censuram adhibere lubet nobis supèr Chronologica supputatione, qua Philo-grammaticus Emmanuelis Aluarez, aut Aluari, natione Lusitani, definiuit ætatem in Obseruatione I. §. V. pag. 8. ità scribendo: *L' Emmanuele fioriua del MDLX. se non m' ingannano le Croniche.* Fortassis enim videremur nimis austeri, & minuti rerum ventilatores, diligentem ad trutinam singulos annos reuocando, & Philo-grammatici hosce calculos minùs probando, quòd denos, aut quindenos annos saltem obitæ summæ addere

Emanuel. Al

dere

dere debuiſſet, vt eorum temporum limes expromeretur; qui florentem, non ſolius ętatis habita ratione, ſed virtutis, & famæ, vitam Aluari incluſit. Hic enim, vti teſtatur in Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu Philippus Alegambe pag. 100. albo adſcriptus A.C. MDXLVI. præclariſſimę Societatis eiuſd. cum inſigni prudentię laude ornatus intellegeretur à ſupremis Ordinis moderatoribus, multotiès ad gradus, haud contemnendos, domeſtici regiminis promotus eſt: licet, *cum Humanioribus potiſsimùm litteris excelleret (qua erat humilitate, caritateque præditus) in formanda ad pietatem iuuentute, & ad Latinam, Græcam, atque Hebraicam Linguam inſtituenda, expoliendaque, plurimos annos impenderit*. Ita ſapiens Hiſtoricus: vndè habemus, etiam ingraueſcente ætate, eiuſdem prouinciæ pondus, hoc eſt inſtruendæ iuuentutis munus, Aluarez ſuſtinuiſſe. Si enim vitæ tantùm floridioris annos euiuſmodi magiſterio tradidiſſet, non e-

uarez, aut Aluarus,

rat cur Alegambe eam suæ narrationi insereret parenthesim, *Qua erat humilitate, caritateque præditus*: quoniàm penès R R. Patres Societatis in more positum est, vt id omnes, ac singuli, iuxtà tantæ Familiæ instituta, exequantur. Ergò Aluarez cum Eborensi in Collegio Anno salutis MDLXXXII. ad Immortales immigrarit, non videtur dicendus floruisse ea tempestate, vel eo temporis puncto, cuius expressà notà, tantummodò quattuordecim religiosæ vitæ annos numeraret: huius enim in tractu, Scientiarum tùm minorum, tùm maiorum ediscendarum in curriculo (si quidèm earum studia confecit, dum Iesuitarum Ordini esset aggregatus) vt plurimùm impensæ, iuxtà Reuerendę Societatis consuetudinem, nondum eum Famę florem perfecisse iudicandus, quem v. g. A. C. MDLXX. vel LXXV. feliciter absoluit. Verùm, vt dixi, nolumus hac in re videri solliciti, ne nimij videamur. Fateri tamèn debemus, hìc non benè à nobis percipi

ingens

ingens illud ſpatiũ, quod idem Philo-grammaticus notat Obſeruat.IV. §. II. pag.7. his verbis: *Che l'Emmanuele poi, e gl'altri, da voi citati, i quali con la lor morte hanno facilmente di gran lunga precorſo la naſcita de' noſtri Padri, tal pronuntia vi habbiano imboccato, queſto non lo potiamo capire.* Emmanuel enim, qui, vti diximus, abijt è viuis A. C. M D LXXXII. quomodo longa annorum intercapedine à noſtrorum Patrum natalibus diſiungi poterit obitu ſuo; dùm verè dici non poteſt, quòd tanta longitudine, quantam ſonant calculi Philo-grammatici, diſtet à noſtris? Et licet diſtaret, ac diſiungeretur; vndè oboritur ea difficultas, quam hìc vocat imperceptibilem: quaſi verò ad hoc, vt eruditus Auctor alium doceat aliquid, requiratur immediata vtriuſque preſentia, cum ſufficiat mediata, quæ facilè per dogmata, & præceptiones, ſcriptis obitas, ſolet obtineri? In paucis aquæ guttis quàm obſcurum naufragium patitur Anonymus!

48 *Testimoniū Bedæ extrà rem productum hic ab Anonymo.* ——

Tertiò denique, parùm prodest huic eiusdem Bedæ testimonium, de diuisione, vel inepta, vel figurata, vocalium, diphthongon componētium, solemni pompà nobis obtrusum, ex Vossij libro 1. c. 4. hoc pacto scribentis: *Iam tùm quoque subiunctiuam in diphthongis reÿciebant ad syllabam sequentem; nam Beda idem scribit A-urum dici, prò Au-rum, & E-uangelium prò Eu-angelium.* Nam primò Beda, domo Britannus, & origine Anglo-saxo facilè potuit esse conscius, aut particeps eius cladis maximæ, quam potissimùm passa est in Insula Albionis, aut Magnæ Britanniæ, Latinitas. Hæc, eò fuerat à Romanis inuecta: qui meridionali illa parte, post Iulij Cæsaris prima tentamenta, paulatìm potiti fuerant, cui Angliæ obrigit appellatio (sicùt Septentrionali, montes in asperos surgenti, à Scotis, Hiberniæ Populis, nomen hæsit Scotiæ) Et sanè, vt nouimus ex Cambdeno, prosperè ibi succreuerat, ducta ad optimā maturitatem.

tem. Nàm foboleuerat in ore Ciuium Latinus fermo,ibidem fobolefcente Romana Gente: quæ non minùs prudentia infignis, quàm fuerit fortitudine, fubiectarum Prouinciarum corda fibi conciliare nitebatur eiufdem & Linguæ, & Politices vfu, dum Populorum colla potentiffimæ dominationis iugo oneraret. Verùm labente Chriftianæ Legis feculo quinto, cum, Hengifto, & Horfto Ducibus Iuthi, Angili, atque Saxones coniunctis animis, armifque, è Germaniæ finibus fecundo Cœlo foluentes, ad oras Infulæ contrà Pictorum tyrannidem fuiffent deportati, fubdolè, & fraudulentèr vno, eodemque impetu oppreffa Britannia eft, & Latina Lingua fi quidèm non auulfa radicitùs, certè corrupta: quin immò idiotifmus ipfe natiui fermonis ità infectus eft, & adulteratus, vt ipfius tantùm leuiffima veftigia penès extremas Regni plagas fuperfint, in Chambria fcilicèt, & Cornuuallia, quò miferæ indigenarum reliquiæ confugerant.

Hinc

Hinc nullus datur locus admirationi, dicendo: Quod Beda suæ ætatis prauos abusus in diphthongorum pronunciatione referat; sicut stupori præbet ansam Philo-grammaticus, dùm extrà chorum verè saltando Bedæ nos accersit in societatem, quasi verò Diphthongi vocales vitiosè seiungamus; atque dictiones *Causa*, *Thesauros*, *Auri*, sequenti modo vel proferamus, aut scriptis mandemus: *Ca-usa*, *Thesa-uros*, *A-uri*. Vtque intempestiua, futilisque hæc inuasio se ipsam destruat, absque quo obex vllus requiratur, cuius soliditate illa extinguatur, hanc maturè perpendamus. Fieri sæpenumerò non potest huiusmodi Bedana diuisio, quin duas syllabas conficiant disiunctæ vocales. V.G. scissio fiat vocalium A, & V in particulis AVT, & HAVD, hoc pacto, A-VT, & HA-VD: ecce tali obito segmento necessariò geminantur syllabæ, ità vt singulæ particulæ ex monosyllabis euadant dissyllabæ. Idem proportionalitèr affirmandum si

quis

quis dicat de plerisque alijs dictionibus diphthongatis (exceptis tamen ijs, quæ habent Diphthongos Æ, OE, & EI) non sinè magna difficultate arguetur erroris. Nam traducamus hùc tres voces, superiùs commemoratas, *Causa*, *Thesauros*, *Auri*, & iuxtà Bedæ segmenta vocales iterùm mutuò dissociemus, hoc pacto: *Ca-usa*, *The-sa-uros*, *A-uri*. Profectò partes posteriores, à prioribus auulsæ, ac mutilatæ, pronunciandæ videntur eodem sono, quo pronunciarentur hi duo Casus integri, quorum alter est Accusandi, Rectus alter, *VROS*, & *VRI*; nec non supinum *VSA*, in quibus omnibus duplex est syllaba. Id patere videtur apertè: licet enim vocalis V fieri possit Consonãs, vt alibì notatum est, quin immò neutrius generis post litteram Q; ita vt neque vocalis, neque Consonans audiat: tamèn id non exequitur, ab alia vocali disiuncta: vel hæc sit O, vt *Volo*; vel E, vt *Veritas*; vel I, vt *Vita*; vel A, vt *Vaco*; vel V, vt *Vul-*

49 *Natura vocalis V.*

vt *Vulnus*: ſique ſola permaneat, ſempèr facultatem retinet vocalis, nulla facta ſuæ eſſentiæ iactura, yt obſeruare licet in dictionibus, *Vnitas*, *Vtilitas*, *Vbique* &c. Idemque valet medijs in dictionibus: nam ſicùt V remanet conſonans in ſyllaba *Vi*, aut *Ve*, ſi ſic diſſecentur voces hæ *A-uita*, & *A-uena*: ità remanet vocalis in dictione *Sciurus*, ſi bifariàm hoc modo diuidatur, *Sci-urus*. Igitùr cum in mutilatis vocabulis *VROS*, *VRI*, *VSA* vocalis V nulla prematur alia vocali ſubſequente, dicenda eſt conſeruare vim natiuam vocalis, & ſe ſola ſyllabam formare. Hoc ſatis elucidato, supereſt, vt iam nitidè videamus, eatenùs Philo-grammaticum hoc Bedæ mendum adiunxiſſe nobis, vt eruditus appareret, licet neutiquàm ad rem id exequatur: eos Barbaros imitatus, qui vt ſe ſe ornent, etiàm extrà locum, inciſuris faciem turpant. Vnicum nos ſonum, miſtum tamèn, admittimus in Dipththongo, & religiosè in eadem vnitatem ſyllabæ obſer-

50 *Quare nobis nõ qua*

obſeruamus. Anonymus verò, vti Prima Pars noſtræ Diatribæ demonſtrat, iuxtà numerum, vimque duarum vocalium, queis conſtat Diphthongus, duas in eadem ſibi fingit ſyllabas, ad duo tempora metrica, vel proſodiaca, duoſque ſonos pronunciationis illigatas. Cui igitùr noſtrûm congruentiùs aptatur error, cuius Beda ſuam ætatem ream fatetur: nobis, qui nullam omninò diuiſionem, ſectionemue vocales intèr Diphthongi toleramus; an Anonymo, qui alteram ab ſocia ſeiungens, verè dici debet, quòd ità dictiones *Auri*, *Theſauros*, *Cauſa* pronunciet, ac ſi litteræ, ipſas conficientes, ſequenti ſerie deberent ordinari, *A-uri*, *Theſa-uros*, *Ca-uſa*: eodemque modo particulas *Aut*, *Haud*, *Ceu*, & *Seu* profert, ac ſi characterum ſequenti iunctura papyro inſculperentur, *A-ut*, *Ha-ud*, *Ce-u*, & *Se-u*? Hac vtiquè notà compungendus Philo-grammaticus: quem propterea meritò affirmamus, vt linguam exerceat, ac ſtylum, materiali-

dret Error Ledanæ pronũciationis.

rialitèr, ac sinè anima significationis verba edere; immò verò se ipsum vulnerare, dùm nostrum in caput argumenta collineat, vt iaculi inaurati, scilicet eruditi, vanum fulgur ostentet.

51 *Aliæ repugnãtiæ, quæ gignũtur ex verbis Philogrammatici.*

Quoniàm tamèn sunt Errores simùl catenati, alterque alterum trahit, id ipsum propterea, quod hucusque considerauimus, & exsibilauimus, instàr vaginæ, repugnantias alias latentèr includit. Scripserat Anonymus, vt alia vice superiùs dictum est, opinione Vossij contrà nos militaturus, an inanem fastum, sibi vni infaustum, exhibiturus? sequentem in modum: *Non vi aggraui però l'vdire ancora Gherardo Vossio, si perche parla di questa corrotta pronuntia, che voi riconoscete per effetto de' più delicati, e tersi vditi; si perche nella pronuntia de' Dittongi VI DA' PER COMPAGNO BEDA &c.* Clariùs indè enucleata re, & adductis exemplis, à nobis etiàm examinatis, addit: *Essendo voi dunque di parere, che l'V in Aurum, Causa, Eugè, Europa &c. suoni*

come

come in Nauigium, Eua, Euangelium &c. quando NON HAVESTE A SCHIFO DIVIDERE CON LO STESSO BEDA A-urum, Ca-uſa, E-uge, E-uropa, non vi ha dubbio, che (ſe pur non mente il Voſsio) voi haureſte totalmente uniforme queſto gran Letterato, e con eſſo i di lui contemporanei: e mi gioua credere lunga ſerie di Poſteri, ſe non per difendere, per iſcuſare almeno, queſta voſtra Opinione. His duobus Orationis ex tractibus componitur, acuiturque duplex acies forcipis, qua miſer Philo-grammaticus egregiè torqueatur. Id digito tangamus, numerando labes, queis ſcatent.

52 *Prima repugnantia.*

I. Apertiſſimè, vti ſuprà notatum eſt, & hìc rursùs indicatur, ne ſimùl implicatos, inſertoſque Cancros longo interuallo diſiungamus, Chronotaxim lædit; ad quartum ſæculum Chriſtianum traducens diphthongi corruptelam, mutationemque vocalis I. priſcis à Latinis, Græcorum more, vſurpatæ, vice vocalis E: cuius vi, ac

ratione non iam ampliùs Casus generandi Declinationis I. in AI, vt *Terrai*, *Musai*, *Metai*; sed in Æ, nimirùm *Terræ*, *Musæ*, *Metæ*, desinerent. Qua opinione, quinque, vel etiàm sex sæculorum solidam per intercapedinem deflectit, & aberrat à veritate; quod dilucidè iam demonstratum est. Nàm Maronis ætate ità fuerat desinentia talis obliterata, & extincta, vt eius vsurpatio à Guarino, alijsq; non paucis, re in Grammatica insignibus, dicta sit suscitatio vetustæ consuetudinis: ergò, talis mutatio facta est probabilitèr eo temporum tractu labente, qui à nobis superiùs ad Quæsitum III. dictus est Antiquus: confirmata posteà, vtpotè suauior, & consonantior, fluente Ætate Perfectà, nempè Tulliana. Hinc apparet cubitalis allucinatio Philogrammatici: qui euentum, spectantem ad tempora, quæ alicuius insignis interualli longitudine Ciceronianis natalibus præiuere, in Theodosiani sæculi ferreos annos asportat.

II. Va-

II. Vaferrimè, vel abſurdiſsimè, ſententiam noſtram de Diphthongi pronunciatione refert, & exponit Anonymus. Iactat enim, vitioſam à nobis, diſſonamque comprobari; ac ſi ab Viris delicatioris auditus, ac magis religioſi, penès recentiora ſęcula inſtituta foret: cum re vera commendauerimus optimam, Grammatices Legiſlatoribus ſolemnem, & gratioſam: vnius ſcilicèt miſti ſoni, cum ſyllabæ abſoluta vnitate coniuncti; eamque improbauerimus, quam penès Sapientes, ac rei litterariæ gnaros cum nauſea ſcimus audiri: diſtrahentem nimirùm duas in ſyllabas vocalium binarium illud, ſolidè compaginatum, & alienum à diuiſione, quo potiſsimùm duæ Diphthongi AV, & EV conficiuntur, eo prorsùs pacto, quo à Scriptore eædem in papyro diſtinguuntur, aut ſeparantur, calamo conformatæ, vel charactere metallico cuſæ ab Impreſſore. Et ſanè Auctores ij, qui Chriſtianis ætatibus, quarum in ambitus mendoſa pronuncia-

Secunda Alucinatio Anonymi.

tio fuit inuecta, vixère proximi, minùs apti iudicandi sunt ad vitium probè cognoscendum, quo ipsi, primis in fascijs, cunisque, vix editi, laborarunt: quemadmodùm ad illud intelligendum magis fuerunt accommodi, qui ab ijsdem temporibus, corruptelà infectis, magis, magisque dissiti, ac semoti potuere paulatim resipiscere, & antiquorum voluminum iugi meditatione legitimam rationem rectæ pronunciationis seriò memoriæ tradere, & in consuetudinem reuocare; eo penitùs pacto, quo multotiès Actor ea Theatri menda non percipit, quæ obseruat exactè Spectator, opportuno in loco, ac subsellio distans ab orchestra, atque proscenio. Proptereà hac in re optimè cauendum, vt subtilis euitetur æquiuocatio: nam Antiquitatis nomine duplex intelligi solet ætas. Prima, dicenda Antiqua absolutè, ea est, quam Perfectam in Quæsiti III. responsione nominauimus; tunc temporis enim verè floruère Maiores nostri, Patresque

Lati-

Latinitatis; digni profectò proindè, qui ab Nepotibus, sęculorum deinceps successiuè labentium circulo nexis, iure, meritòque Antiqui nuncupentur. Alia verò est solùm Antiqua relatiuè, & respectiuè; nempè ratione habita corruptelæ, iam obitæ, Latini sermonis. Primi .n. qui tàm luctuosæ cladi vel interfuère, vel vixère proximi, solùm comparatione habita cum recentioribus ætatibus, sunt vocandi Antiqui: talesque consequentèr dicendi, qui sęculo quinto, sexto, & septimo floruere, non valdè disiuncti à quarto, quod maximum Latinitatis, anteà leuitèr corruptæ, suo in ambitu excepit exterminium. Hoc pręmisso, & constituto: si primam duabus ex commemoratis ętatibus nomine Antiquitatis intelligamus, vtique recentioribus nulla cum restrictione est anteferenda; hæc enim Principes Artis amplexa est, quorum pręlucente Sapientia, & Eloquentia tutum iter arripitur in stadio, studioque Latinitatis. Si verò secundam significemus, tunc omni-

nò diximus, & rursùm affirmamus, recentiora ſæcula Antiquis antecellere: vt potè longiùs à vitij fonte diſſita, & magis idonea, ſuppetias adhibente diligenti optimorum librorum lectione, ad errores intelligendos, amputandoſquè, & genuinæ pronunciationis formam exſuſcitandam; quàm ſit illa Ætas Antiquior, intèr Barbarorum ferinos mores, & tetræ caliginis vndas merſa, & conſepulta.

53 *Tertius lapſus Anonymi.* Tertiò Philo-grammaticus, ſuęmet aſſertionis oblitus, primùm dicta, ſecunda vice retractat. Probatur: Eodem prorsùs vitio nos affirmat laborare, quo ſcatebat ætas Bedæ, ità enim de Voſſio locutus, ſcribit: *Nella pronuntia de' Dittongi AV, & EV vi dà per Compagno quel Beda, che fù la Fenice de' Letterati del ſuo tempo*. Tùm, exemplorum ad lucem, magis, magiſquè declarato tenore vitij, iſthæc ſuperaddit: *Quando non haueſte à ſchifo diuidere con lo ſteſſo Beda A-urum; Cauſa; E-uge; Eu-ropa, &c.* His duobus

Pro-

Propoſitionum fruſtis, mutuò diſcrepantibus, ſimùl iunctis, ſic arguo: Vel ſocij Bedæ verè ſumus harum Diphthongorum in praua enunciatione, atque ſectione, vel non. Si ſecundum: mentitur ergò Philo-grammaticus, huius in communionem erroris, & errantis ſocietatem nos aſciſcendo. Si primum: ergò dicendi non ſumus, dum exercitè, & practicè errori Bedano hæremus, & alligamur, ac ſi in actu ſolùm primo conſtituti eſſemus, liberi ad nauſeandum eiuſdem Bedæ errorem, coniungendaſque vocales eas, quas ipſe, ſuæ peccato, mendoque ætatis, prædictis in Diphthongis AV, & E V diſiungebat. Et tamèn hæc profectò verba, *Se non haueſte à ſchifo*, queis ab eo compellamur, nos huiuſmodi vitioſæ pronunciationi non ſolùm non ſignificant addictos, ſed potiùs ab ea declarant alienos: dum, loquendo conditionatè, noſtra in poteſtate conſtituit, & noſtro relinquit arbitrio vel nauſeam, fugamque tali ab errato, vel eiuſdem

prosecutionem. Quot nodos sibi pangit, dum nobis laqueos tendit, Anonymus! Nihil hìc dico de laude intempestiua, quam cum nomine Bedæ coniungit eo in loco, ac temporis articulo, qui eundem exhibet, & expingit errantem. Sensus enim Philo-grammatici hic est: *Beda, Venerabilis Doctor, & suæ ætatis litteratos intèr Heroas Phœnix, turpitèr allucinatus, ab recta Diphthongorum AV, & EV pronunciatione discessit; & vester socius, Maruertiani Antagonistæ, corruptelam eam amplexatus est, qua vocales diphthongales, necessariò consociandæ, simùlque nectendæ, dissonè diuiduntur.* Quod, Deus bone! commercium est errori cum litteratorum Phœnice? Quali cum plumbo, commendationis illustris hæc gemma, maritatur? Quo pacto laus cohæret corruptelæ? Neutiquàm negamus quidèm & optimos Homeros dormitare, & nullum in terris dari aurum, quod omni fæce careat: sed prudentis Scriptoris est, hanc ab illo se-

54 *Intempestiuè commẽdat errantem Bedam Philogrammaticus.*

lo se-

lo ſegregare, vt Regale metallum, ſpoliatum ſcoria, candidè eluceſcat, & commendationis ſplendor ſit immunis à tenebris. Quoniam cum contraria, iuxtà ſe poſita, clariùs emicent, profectò ſi meriti dignitas cum errati vilitate copuletur, illius deprimitur celſitudo, & huius fœditas amplificatur. Enimuerò qui prima fronte audit Beldam ſui ſæculi Phœnicem, hac intellecta laude reduplicatè (vt ab Dialecticis lucem mutuemur, ita loqui fas ſit, quemadmodùm frequentèr aliàs fecimus) prauæ enunciationis vituperia, & probra non expectat, neque reputat, *humano Capiti ceruicem equinam*, monſtroſo nexu, iungendam. Addimus etiàm: hoc pacto à Philo-grammatico incogitantèr nobis obtendi velamen excuſationis; ſi enim verè eodem in errore verſaremur, quo tantus Doctor noſtris oculis exhibetur implicitus, nonne menda noſtra imminueret hæc contentio, vel comparatio? Si enim Eruditorum Phœnix praua pronunciatione

labo-

laborauit, quidni nos excusandi videamur, si eàdem laboremus, qui litteratorum Phœnices non audimus, aut celebramur? Et de hoc Puncto hactenus.

55 *Lapsus quartus Anonymi.* IV. Quàm exotica, & inanis iudicanda est Propositio sequens, merè identica: *Se non haueste a schifo diuidere collo stesso Beda A-urum; Ca-usa; E-uge; E-uropa, &c. non vi hà dubbio, che voi haureste totalmente vniforme questo gran Letterato!* Sic enim argumentor: Quis vnquam ambigere poteſt animo, an ij sim conformis futurus, cuius exemplum re ipsa sequor; ei similis, cuius refero imaginem, vi quadam imitationis in me sculptam; ab eo nullatenùs dissentiam, cuius cum opinione penitùs sentio? Ergò vanum est, & sinè sale, dicere: Quòd, diuidendo cum Beda vocales A, & E à vocali V in dictionibus *Aurum*, *Causa*, *Eugè*, & *Europa*, conformem sim mihi Bedam habiturus.

56 *Lapsus quintus* V. Interrogo: cuius nam Cœli inquilina erit ea longa series Posterorum,

rum, quam ſectatricem habuero, Bedæ pronunciationem amplexando; ſic enim inquis, Anonyme: *Voi haureſte totalmente uniforme queſto gran Letterato, e con eſſo i di lui contemporanei, e mi gioua credere lunga ſerie di Poſteri?* Cuius hi Prouinciæ erunt incolæ? cuius plagæ? cuius Regni? Non Italiæ profectò, Latinæ Linguæ olim ſedis, & eiuſdem nunc temporis hæredis potiſſimæ; neque regionis cuiuſuis, in qua degant homines eruditi, quoniam, Anonyme, ſcribis in Obſeruatione Artic. IV. ad §. II. noſtrum pertinentis, exibilandam eam Diphthõgorum pronunciationem, quam nos, Bedæ, te auctore, ſocij, vſurpamus, eandẽq; eſſe omninò dicendam: *Contra i precetti e regole dell' Arte non meno, che contra l'vſo degli ERVDITI D' OGNI NATIONE, anzi contra il POPOLARE delle più colte Città, e Prouincie dell' Italia.* Infrà verò in Obſeruat. §. VI. loquens de peculiari pronunciatione particularum *Aut*, *Haud*, *Heus*, *&c.* *Queſte*

Anonymi.

(ais)

(ais) *in bocca di qualunque non sia nè zotico, ne infetto della vostra pronuntia vengono quì tanto esattamente con perfetta, ed ottima conglutinatione pronuntiate, quanto da gli eruditi pure in qualunque altra, da noi conosciuta, parte (che non sono poche) si costumi*: quibus verbis ferè vbique Gentium (quoniàm non paucas terrarum portiones te peragrasse, ac deuorasse affirmas) nostram pronunciationem reprobari asseris. Qua igitur in plaga, quo in solo hos asseclas, ex Anonymi vaticinio, sumus assecuturi, Bedanæ enunciationi religiosè adhærendo? Credo in Elysio Poetarum, siuè spatijs in imaginarijs Philosophantium.

57 *Alius Lapsus Anonymi.*

VI. Denique vt hoc ex vepreto pedem soluamus: parergi loco, allatis ab Anonymo ex testimonijs, nouam eiusdem dissonantiam, cubitalem quidèm, ne dum palmarem, nobis licet exprimere. Horum enim vi demonstratur, rectam Diphthongi enunciandæ rationem, non tantùm apùd cultiores

res

res Italiæ Populos, ſed etiàm penès Eruditos omnes Orbis vniuerſi; ſiue, vt vnico verbo vtar, omnes Coſmopolitanos, aliquantùm ſapientes, inualuiſſe, & noſtra hac ætate coli. Id primis verbis ſuarum Italicarum Obſeruationum declarat apertiſſimè pag. 3. ità ſcribendo: *Pronuntiando voi le particole Aut, & Haud molto diuerſamente da quello, che non ſolo quì da noi, ma poſſo credere ouunque ſi rattenga l'vſo della Lingua Latina, ſi coſtuma &c.* Quì autèm ſubſiſtit, huiuſmodi præcurrente Theſi, ſequens Ipotheſis, ad Diphthongos Æ, & OE arctata? *Non penſaſſe però quì alcuno, che noi haueſſimo humore di rimmettere nello ſtato dittongale l'Æ, & OE; perche conoſcendo eſſerui ſi fatto, e troppo indurato il callo, ed il ſoproſſo, di queſta cura laſciamo il penſiere, & honore a' Medici d'altra peritia, che la noſtra.* Nam ſicùt à mendoſa Barbarorum colluuione reuocata, & reparata felicitèr eſt deprauata pronunciatio Diphthongorum AV, & EV, nec non vbìque

loco-

locorum priſtinum in ſtatum egregiè reſtitura: quonam pacto ità potuit obcalleſcere, & altè radicari minùs recta prolatio Diphthongorum Æ, OE, & EI, vt nequeat abſtergi labes, aut vulnus ſanitate donari? Cur ea Sors dextera, qua obuiatum eſt lui graſſanti in prima Diphthongorum claſſe, euerſa, & exterminata eſt in ſecunda? Quarè emendationis incapax, Magiſtrorum prompta cura non deficiente, exiſtimanda eſt hæc poſterior corruptela, eamque ſtudere, idem eſt, *ac lauare laterem*: ſi quidèm prior penès & doctos, & plebeios homines auſpicatò ſublata eſt? Verùm alium hoc in ſcirpo nodum, ſuprà Num. 31. Nuclei III. alia vice caſtigatum, ſinè moroſa, cauilloſaue ſubtilitate, rursùm hìc teneo, vt euellam. Alibì, prima ſcilicèt in textura ſuarum Obſeruationum, vbi nos alloquitur Philo-grammaticus pag. 3. profert verba, queis dicta hìc ad Articulum II. §. V. manifeſtè deſtruit, inſtàr Penelopes texta ſempèr detexendo.

Nam

Nam ſermone inſtituto de noſtris ijs Theſibus Italicis, queis titulum hunc præfiximus: *Determinazione Apologetica circa la pronunzia de' Dittongi*; deque ſuis Animaduerſionibus, Latinè ſcriptis, quibus eaſdem Theſes noſtras refutare nititur, ſingularitèr hæc habet: *Mà non reſtando da quella conuinto il mio intelletto, e perciò non potendoui far vedere, colla pronta diſdetta, quanto in paragone della Verità IO MI SPREZZI L'OPINIONE DEL VOLGO, vi feci ſopra certe ſuccinte Cōſiderationi, &c.* His verbis nixus, ſic arguo: Quoniam noſtra Argumenta ſtrenuè, ac promptè negando, tibi non licuit ſatis nobis ſignificare, quantùm præ Veritatis eſtimatione VVLGI NEGLIGAS OPINIONEM, propptereà id te rentaſſe dicis, Anonyme, Animaduerſiones eas conſarcinando, quas Latinè contrà nos edidiſti. Ergò Vulgum noſtras partes ſequi tu exiſtimas. Probatur hæc illatio: Nobis contradicendo, noſtramque oppugnando ſententiam, VVLGI,

VVLGI, plebis, aut popelli, præ Veritatis ſtudio, opinionem ſimùl aſpernari te iactas, & iudicas. Igitùr nobiſcum errare VVLGVM, PLEBEM, vel POPVLVM, ac propterea noſtræ hunc eſſe farinæ, partis, atque ſententiæ, arbitraris. Quomodò igitùr, vt aliàs rogauimus ſaltèm ex parte, vera profers, dum in Obſeruat. §. VI. de' particulis *Aut*, *Ceu*, *&c.* loquens, hæc habes: *Queſte in bocca di qualunq; non ſia ne zotico, ne infetto della voſtra pronuntia, vengono quì tanto eſattamente con perfetta, ed ottima cõglutinatione pronuntiate*, *&c.* dùm Latinis in Animaduerſionibus p. 57. diſertè à nobis adhibitam prolationẽ vocas *contrà communem vſum*: necnon tandèm ad Artic. IV. §. noſtri II. dum ſcribis: Noſtram pronunciationem, nõ modò violare leges, & Artis regulas, verùm etiàm definiendam, dicendamque eſſe *contra l'vſo degli Eruditi d'ogni Natione, anzi contra IL POPOLARE delle più colte Città, e Prouincie dell' Italia?* Quæsò explica

nobis,

nobis, & expone, quid demùm hac in re POPVLVM intèr, & VVLGVM intersit, vt hunc ab illo iustè secernentes, optimè teneamus, & amplexemur Sectatores nostros, nobisque aduersantes procùl arceamus. Tu ipse, benigne Lector, iudica, quàm bene isthæc mutuò cohęreant: nos enim ad alia, non minoris limæ indiga, properamus.

NVCLEVS V.

Quadruplicis Medullæ.

Ex Obseruationibus Articul. III. qui postremus est §. V. & §. VI. pag. 11.12. & 13.

I. *Quid litteræ sint, & absona illatio, quam earum ab expositione, Quintiliani stylo edita, excudit Anonymus.*

II. *Quæstiones litterarias, cuiuscunque tandèm notæ videantur, nullo pacto dicimus negligendas.*

III. *An ſublatæ ſint Diphthongi omnes ſiuè Græcorum, ſiuè Latinorum, exceptis ijs, quæ penes ſecundos in particulis* Haud, Aut, Ceu, Seu, *& ſimilibus, includuntur?*

IV. *Phyſicæ appellatio, & Confuſionis, extrà rem, & locum, à Philogrãmatico imprudentèr iactata.*

58 I. *Diſcrimen notarum, queis Populi in ſcriptione vtuntur, & ſenſuum expoſitione.*

VT clariùs eluceſcat, & pateat illationis abſurditas, quam Philo-grammaticus elicit ex definitione, minùs religioſa, Litterarum, obita à Quintiliano, videamus, quid Auctores diuerſi de Litteris ijſdem, deq; ſcriptionis vi, ac facultate luci tradiderint.

Notandum verò Primùm eſt, aliàs eſſe notas, rerum ſignificatiuas; alias vocum; alias demùm vocum ſimùl, ac rerum. Primarum delineatione immediatè repræſentantur obiecta, vti ſunt in ſe: idque intelligere licet ijs in notis,

notis, queis vti ſolent Aſtronomi, & Arithmetici. Secundi generis ſunt figuræ illæ, calamo, ſtyloue fictiles, quas diuerſo modo, prò nationum ſingularum ritu, conformatas, adhibent homines vice verborũ: manu enim factà Linguæ vicarià, quidquid hæc, loquendo, ſolet alteri communicare, ſcribendo, ſupplent. Poſtremæ denique appellantur etiam ſymbola, vel hieroglyphica, queis vtebantur antiquitùs Ægyptij ad exprimendos animi ſenſus; non ſolùm corde tacitè cõceptos, verùm etiàm vt ſcriptiles: nimirùm ſculpturà, vel picturà in ſaxis, tabuliſue explicabiles.

59 *Multa, quæ cõcurrunt ad Scripturam efficiendum.*

Notandum Secundò eſt, ad abſolutæ ſcripturæ methodum ritè componendam multa inſtituta à Sapientibus, politicæ rei Cenſoribus: quamobrèm, præter characteres, dictionum ædificia conflantes, inuenere accentus, commata, puncta interrogandi, & admirandi, parentheſum notas, & ſectionum earum, quibus dictiones, impleto in-

 tegræ

tegræ pagellæ tractu, necessitatis caussa, mediæ scinduntur; necnon alia huiusmodi, quibus scilicèt, velùt particulis, in vnum coeuntibus, scripturæ opus perficitur, & sententia mentis inuisibilis, sensibusque minimè subiecta, fit sensibilis, oculisque subijcitur. Neque verò ad tale munus hi, vel illi characteres ità suoptè ingenio sunt addicti, vt relicto vno, alij diuersę classis, & figuræ substitui nequeant ad libitum; vel scriptori ità de ijs disponere minimè liceat, vt vna littera merè loco additamenti cuiuspiam accipiatur, dirigentis potiùs sonum pronunciationis, quàm complentis. Id obseruare conceditur passim Gallica in Lingua præ cæteris omnibus; in qua plurimæ litteræ, verba scripta conficientes, solùm adhibentur, non vt proferantur, sed vt sonum dirigant dictionis in ore loquentium; nimirùm vt modò latiori, nunc strictiori rictu efformentur: siuè vt vna dictio discriminetur ab alia, sibi simili: siuè tandèm, vt Numerus Declinationum

singu-

ſingularis, multitudinis à Numero ſecernatur.

Notandùm Tertiò; aliquandò paritèr euphoniæ gratia, vnam litteram deligi alterius loco; vt facilè obſeruare licet in Linguis Græca, & Caſtellana, quarum in priore Gamma ante aliud Gamma, ſiuè Chi, ſonat vt Ni: ſicùt in poſteriore .i. longiuſculum, ſiuè caudatum, inſtar Kappa gutturalis vſurpatur, & effertur. Et ratio eſt: quia litteræ, iuxtà arbitrium, placitumque hominum inuentæ, & conſtitutæ, poſſunt eorundem voluntate varijs ſignificationibus illigari: quod ſecùs accidit de ſignis naturalibus, quæ vni rei indicandæ à Natura delecta, & addicta, ad obiectum diuerſæ ſpeciei nequeunt traduci. Quamobrèm, vti ſuprà dictum eſt, paulatim fuit confecta ea ſeries, ac ſumma litterarum, quæ nunc temporis penès Græcos, Latinoſque obſeruatur: & ita confecta, vt aliqua littera, quæ priùs vnius ſoni fuerat penès illos, penès iſtos alium

60 Euphoniæ gratia facta litterarũ mutua mutatio.

reddat, vti notauimus de Æolico Digamma, quod perijt.

61 Etymologia litterę. His expositis, quæramus primò litteræ etymon, tùm eiusdem definitionem enucleabimus. Scaliger lib. 1. de Caus. Ling. Lat. cap. 5. hæc supèr tali quæstione habet: *Quià litteræ omnes lineis constant, à lineando eas primùm dixere lineaturas; tùm* (nimirùm contractè) *litteras*. Bibliandri, in Comment. Litt. in idem vergit opinio, scribentis: *Denominantur litteræ à lino, vndè linea, & lineamentum etiàm dicitur*. Alij, cum Prisciano, radicem huius nominis figunt in *Litura*, eò quòd *litteræ delerentur*: licet Goropius lib. 3. Hermath. aliò se vertat circà huius etymologiæ enudationem, ait enim: *Litura, non solùm deletionem, sed etiam tectorium, seu incrustationem significat apud Columellam. Ab hac litura Littera dici videtur: cùm nempè tabulis primùm cera illinebatur ad scribendum, quæ cera instàr crustæ alicuius, seu lituræ erat, quando tabu-*

lis

lis erat allita. Alij cum Isidoro, & Seruio contendunt nuncupatam *Litteram* quasi *Legiteram*, quòd *legenti præbeat iter*, aut *legendo iteretur*. Denique cum Mario Victorino frigiudiusculè, vt refert Hermannus Hugo cap. 2. *de Prima scribendi Origine* (vbi Scaligeri, & Bibliandri sententiam suo calculo probat) aliqui dictam opinantur, vt *Leuiteram*, *quià leuat, vt iteretur; id est delectat, iterùm vt scribatur*. Goropius tamèn adhùc (quo ab Auctore discimus omnes Veteres duplici T T, *litteram* scripsisse, non autèm *literam*, vt in Orthographia sua Manutius notatum reliquit; vndè non elumbis difficultas oritur contrà Auctores, hanc dictionem deducentes ex *litura*, quæ vox consonantem T minimè duplicat) lib. 2. Hieroglyph. sub finem, ingenioso, si tamèn minùs vero, examine rem altiùs ponderat, sequenti pacto: *Let membrum significat, quæ vox à delicatioribus Lit effertur. Apud Cymmerios E M vocem notat; vndè Aesem, halitus, qui*

 est

est esca vocis, Aes-em. Ter, vel Der articulus est. Quamobrèm Let-ter-em notabit membrum ipsius vocis. Sed quià Let dicimus, & Lit, ex Litterem Latinus fecit Litteram, quæ nobis iam breuitatis causa in singulari est Letter, in plurali Letteren. Verùm enim verò quidquid sit de hac quæstiuncula, ad Nominalium forum reijcienda: Isidorus lib. 1. cap. III. Litteras definit *Indices rerum, signa verborum*: vel *Signa pronunciationis*, vti sentit Gregorius Tolosas lib. 16. Syntax. cap. 3. fortassis ex Hebrça voce *Othioth*, qua Litteræ signa nuncupantur. *Sunt enim* (subdit Hugo cap. 2. pag. 36.) *Litteræ signa vocum: voces autem signa rerum: ergò litteræ sunt signa signorum.* Quo benè constituto, sequitur Litteras esse verborum, vel dictionum vicarias: cùm enim animus se se soleat effundere per Linguæ sonos, propterea deficiente aurium præsentia, ad quas locutio relatiuè ordinatur; vel alio ex fine, scilicèt, vel vt stabiliùs perstet, ac perennet

62 *Definitio Litteræ.*

rennet ſenſus, ab animo conceptus, & alienæ notitiæ deſtinatus (vox enim, & verba *volant rapidis ludibria ventis)* ſiuè vt ad cognitionem ſe ſe dilatet plurium, quàm fieri queat per organum linguæ, quòd breuem intrà Sphęram coarctatur, tunc manus eiuſdem linguæ obit ſupplementum, & quadam mirabili pictura, vocis imaginem effingit, dùm litteras figurat. Quià tamèn huiuſmodi pictura, diuerſarum linearum ductu, quaſi elementorum miſtura, conficitur, propterea, vt monuimus, hæ lineæ, vel hæc elementa, appellatæ ſunt *Litteræ*. Id declarat, confirmatque Goropius lib. 2. Hieroglyph. ſub finem, acuta ſanè inueſtigatione, quę ſequens eſt: γράφω *Græcorum, Scribo Latinorum, immò & Chataf Hebræorum natales ſuos Cymbrico noſtro ſermoni acceptos ferre debent.* I. *Grab enim Cymbris FOSSAM ſignificat. Voci Grab ordine litterarum, & ſignificatione contrarium eſt Barg, quod montem notat. Nos iam Graf, prò Grab dicimus, muta-*

mutato B in F. Ab hoc posteriore Graf, quod significat Fodio, Græci retinuerunt Γράφω, *mutato F in* Φ, *vt vis litteræ postulabat, vndè grammata prò litteris.* II. *Iam Latinorum SCRIBO manauit à Germanorum Scrib, quòd Belgæ dicunt Scrif, cuius verbi ratio petenda est à Scrab, & huius rursùs à Crab, quod idem est, ac frico ----- Qui verò tanta vi fricat, vt ductus sui signum impressum relinquat, is Scrabben dicitur, sibilo vehementiam addente. Hinc denique venit Scrib Germanicum, & Scrif Belgicum, vocali longà, quòd Lineam significat.* III. *Hebræorum autem Chataf, quo scribere designant, longiùs ab origine recessit. Chataf enim à Boekteken (quod est librum signare, seu scribere) deriuari non dubito, solo N reiecto, & verbo præposterè pronunciato.* Hucusque argutæ inuestigationes, an splendida Somnia Goropij? ex quibus; quoniàm Veritati & ipsa mendacia quandòque velificant, habemus paucis, Litterarum munus in hoc situm

esse,

esse, vt suis notis, aut figuris, calamo, stylo, scalprouc delineabilibus, dictiones suo modo repræsentent, quas exprimeret Lingua ipsa, si hæc organo suo, voces articulans, vteretur.

Hinc patet mens Quintiliani, cum lib. 1. cap. 7. sub finem, inquit: *Hic vsus est litterarum, vt custodiant voces, & velùt depositum reddant legentibus.* Quemadmodùm enim Interpres, quo vtimur ad cōmunicandam alteri mentem nostram, Linguæ nostræ vices prestat, teneturque, instàr Amici, cuius Arcæ thesaurum credimus, fidelitèr restituere pignus acceptum, eo modo, quo lubet nobis: ita & Litteræ sententiam illam, quam, dictiones articulando, Linguæ commisissemus, scribendo, ipsis, instàr depositi, traditam, syncerè tenentur Legenti præstare, & exhibere ea prorsùs ratione, qua iuxtà voluntatem Linguæ, vel sermonis Conditorum, & communem Auorum, Patrumque consensum, sunt ad id institutæ. Confirmat id Cassiodorus lib. XI. Variar.

63 Explicatur mēs Quintiliani malè intellecta ab Anonymo.

vocans.

mutato B in F. Ab hoc posteriore Graf, quod significat Fodio, Græci retinuerunt Γράφω, *mutato F in* Φ, *vt vis litteræ postulabat, undè grammata prò litteris.* II. *Iam Latinorum SCRIBO manauit à Germanorum Scrib, quòd Belgæ dicunt Scrif, cuius verbi ratio petenda est à Scrab, & huius rursùs à Crab, quod idem est, ac frico - - - - - Qui verò tanta vi fricat, vt ductus sui signum impressum relinquat, is Scrabben dicitur, sibilo vehementiam addente. Hinc denique venit Scrib Germanicum, & Scrif Belgicum, vocali longà, quòd Lineam significat.* III. *Hebræorum autem Chataf, quo scribere designant, longiùs ab origine recessit. Chataf enim à Boekteken (quod est librum signare, seu scribere) deriuari non dubito, solo N reiecto, & verbo præposterè pronunciato.* Hucusque argutæ inuestigationes, an splendida Somnia Goropij? ex quibus; quoniàm Veritati & ipsa mendacia quandòque velificant, habemus paucis, Litterarum munus in hoc situm esse,

esse, vt suis notis, aut figuris, calamo, stylo, scalproue delineabilibus, dictiones suo modo repræsentent, quas exprimeret Lingua ipsa, si hæc organo suo, voces articulans, vteretur.

63 Explicatur mēs Quintiliani malè intellecta ab Anonymo.

Hinc patet mens Quintiliani, cum lib. 1. cap. 7. sub finem, inquit: *Hic vsus est litterarum, vt custodiant voces, & velùt depositum reddant legentibus.* Quemadmodùm enim Interpres, quo vtimur ad cōmunicandam alteri mentem nostram, Linguæ nostræ vices prestat, teneturque, instàr Amici, cuius Arcæ thesaurum credimus, fidelitèr restituere pignus acceptum, eo modo, quo lubet nobis: ita & Litteræ sententiam illam, quam, dictiones articulando, Linguæ commisissemus, scribendo, ipsis, instàr depositi, traditam, syncerè tenentur Legenti præstare, & exhibere ea prorsùs ratione, qua iuxtà voluntatem Linguæ, vel sermonis Conditorum, & communem Auorum, Patrumque consensum, sunt ad id institutæ. Confirmat id Cassiodorus lib. XI. Variar.

vocans.

vocans *Scripturam, humanorum actuum fidele testimonium*: quæ commendatio videtur singularitèr Historiæ alligata, cuius litteræ, Fastos conficientes, Annales, & Chronica, Hominum gesta Posterorum memoriæ, sinè vllo fuco, figmentoue fabuloso, commendant. Idem laudat Gregorius Tolosas lib. 16. de Rep. cap. 2. dum hominis ingenium celebrans, prodigiosos intèr eius partus litteras censet, nec non finem, ob quem hę repertæ: *Diuinum*, inquiens, *miraculum certè, vt ex XXIV. notis, & interdùm apùd aliquas Nationes paucioribus, infinita vocabula, mentes diuersæ, & contrariæ, actus omnium hominum, & ipsæ cogitationes possint efficaciùs, & perfectiùs, quàm ipsà picturà, repræsentari.* Idem denique clariùs, & magis ad rem nostram, vt alios missos faciam, nobile arcanum obstupescit Erycius Puteanus *Orat. 13. de Palæstra bonæ mentis*, hoc Eloquentiæ nobilissimo tractu: *Postquàm primum, siuè Naturæ, siuè industriæ miraculum euiluit, loqui, tentauit*

uit quisquã, etiàm sinè voce, loqui. Linguæ, orisque vices ad manũ translatæ sũt, & sermonis picturam niueũ papyri æquor excepit. Parum erat, iudicium animi ministerio formare vocis, nisi & absẽtes, Posterique audirent. Prorsùs imperfectum Linguæ ingenium mortales censuerunt, nisi & calami vsus accederet! Sed eximios hos intèr Litterarũ flores araneum latentem deprehendamus. Ex allatis Fabij verbis hanc Propositionem theticam eliciens Philo-grammaticus, gestit, & sibi plaudit, ac si latentis thesauri possessione potiretur: *Efferendum est quidque, quomodò scribitur*: vt posteà iuxtà intentum suum, sequenti pacto, concludat: *Ergò Diphthongi ea sunt omninò ratione pronunciandæ, qua scribuntur. Ergò vocales A, & E minimè sunt ità conglutinandæ cum vocali V in Diphthongis AV, & EV, vt vnus tantùm illarum sonus exaudiatur; sed distinctè, & disiunctim sunt proferendæ ambæ; sicùt vtriusque nota per se à scribente signatur.* Ad cuius fallaciæ intelli-

64 *Exponitur lapsus Philogrammatici.*

telli-

telligentiam, & euersionem, refricanda memoria illorum, quæ ad Notanda II., & III. superiùs obseruauimus: ad complementum scilicèt pronunciationis aliquandò adhiberi litteras, vel vnam ex ipsis, loco alterius, vsurpari, ac suppleri: quin addo vlteriùs, vel ex duabus conflari vnam tertiam, quæ mistum sonum reddat; vt notare possumus duabus in notis PH simul iunctis, vnicæ litteræ Græcæ Φ. respondentibus: siuè viceuersa, vnicam litteram instituì, quæ duabus æquiualeat, vt in duplicibus Z, & X accidere dictum est. Cum enim id merè pendeat ex Doctorum arbitrio, potest experientia monente, ac persuadente, contingere, vt scribendi ritus, vel euphoniæ titulo, vel necessitatis, innouetur: dematur vis aliquibus litteris, antiquitùs ijs impertita: mutetur partialitèr earundem sonus, prout expedire iudicauerint Eruditi, vnam in sententiam coeuntes, quæ Legis instàr à cæteris minorum Gentium acceptetur. Id solemne haberi pe-

ri penès Gallos iam ſæpenumerò demonſtratum eſt: quorum ſcripta ſi quis recitet eo prorsùs modo, quo iacent litteræ, profectò barbarus audiret, & ità inconditè loqueretur, vt vulgo ipſi Gallico vir ignoti ſermonis, & exoticæ linguæ vt plurimùm videretur. Idem omninò dicatur de Diphthongis, iijs de cauſis, quas exponit Pars Prima Diatribæ, inſtitutis: debet enim ipſarum in pronunciatione, iuxtà mentem Vallæ, ab omnibus probati iudicij laudatam, vocalis vtriuſque hebetari, frangique ſonus, ita vt vnicus, & ex gemino miſtus conficiatur; quod vlteriori confirmatione non eget, cum ſatis ſupèrque hùc vſque ſit à nobis id robuſtè ſtabilitum.

II. Quoniam verò eadem in Obſeruatione Articuli III. Philo-grammaticus nos fortaſſe carpit, & cauillatur, ac ſi quæſtiunculam, ſiuè diſputationē, ſupèr hoc Diphthongorum Argumento nos intèr pendentem, flocci faciamus, & inſtàr leuioris reculæ negligamus,

65 *Magni æſtimādæ ſunt quæſtiones litterariæ cuiuſcunque notiſ[s]i[m]*

gamus, hac phrasi abusus: *Come sanno benissimo coloro, che non hanno sprezzata la contemplatione di queste cose; che da certi forse stimate bagatelle, al parere dello stesso Fabio, Exercere altissimam quoque eruditionem, ac scientiam possunt*; propterea debemus hic testimonio, calculoq; nostro litis huiusce, vel quæstionis, pondera comprobare, ne à Quintiliano diffidere videamur, & rei litterariæ momenta parui pendere. Fatemur igitùr, nullum apicem Mineruali in Palæstra reperiri, leuem adeò, minutumque, qui alicuius pretij non sit iudicandus penès æquos rerum æstimatores, cum possit aliquo pacto ad Sapientiæ comparationem prodesse: nimirùm ad thesauri possessionem, cui nullus intèr mundanæ rei splendida patrimonia pulchritudine, & elegantia possit coæquari. Vtinàm & idem sentiret Anonymus, suoque suffragio tueretur! minùs enim profectò fuisset hebes in veritate peruestiganda, quarè pauciores lapsus obiuisset, ijs amotus à

scrupu-

ſcrupulis, ſalebriſque, quarum aſperitate, & obſtaculo iam frequentèr ſe, ſe fruſtrà laborare sẽtit,ac dolet. Scimus, gemmarum ſculptores minima quæuis adamantum, pyroporumue fragmenta religioſè perſcrutari, ac æruſcare, vt augeſcant. Scimus, minimas opobalſami guttas ab Indico mercatore ſedulò colligi. Scimus, nullum, licet ſciſſile, aridumque folium, Sybillæ Cumanæ olim in ſpelunca, deſpectum, cum partem expetiti Oraculi obtineret inſcriptam: & ad rem noſtram addamus licet, nullum fruſtum thematis litterarij contemnendum, ſi arcanum aliquod Eruditionis amplectatur. Propterea Meſſala Coruinus ſolidum librum de littera ſola S. patientèr exarauit: Paſſeratius opuſculum congeſſit, non vulgare, de mutua litterarum cognatione: Probus, Magno, & à Porta volumina ſpectabilia ſcripſere de Notis: Trithemius libellum confecit de Polygraphia: Nicanor, Diomedes, & Erycius Puteanus, vir ampliſſimus, Tractationes texuere

Y deIn-

de Interpunctione; atque tandèm Aldus Manutius de Orthographia: non iacturam temporis, sed prudentissimam vsuram, æstimantes eam, qua de Litteraria Rep. leui licet exercitio, suis lucubrationibus merebantur. Quamobrèm non est cur Anonymus adunco in nos naso sibi captet auram popularem, puerilesque rumusculos: quoniàm nobis vnis maximo in pretio est de recta Diphthongorùm pronunciatione disceptatio, qui iuxtà rei veritatem illius momenta discutimus, ac definimus; cum ipsi eadem vilescere sit dicenda, à quo tam oscitantèr, & absurdè suscipitur, necnon perperàm ponderatur.

66 *An de perditæ Diphthõgi Græcæ, ac Latinę?*

III. Quì quęsò veritati consentaneum est, quòd exceptis particulis *Aut*, *Haud*, *Ceu*, *Seu*, atque similibus, Diphthongi omnes, siuè Græcæ, siuè Latinæ, sint vno, eodemq; naufragio prorsùs extinctæ: cum vniuersæ, quas conficiunt vocales A, & V; vel E, & V ità nostra hac ætate integrè pronuncientur (dempta fortassis ea delicata

soni

ſoni conformatione, quæ noſtram ad notitiam, Antiquitatis è promptuario, non peruenit, à qua tamèn nullatenùs pendet eſſentia ſolidæ, neceſſariæ, ac legitimæ enunciationis) quantùm contrà corruptà prolatio eſt Diphthongorum Æ, OE, & EI? Vel Midas, cubitalitèr auritus, id iudicet. Et tamèn audiatur Anonymus, qui Græcarum Diphthongorum poſtquàm fabuloſa iactauit excidia, falſiſſimè Gretſerio adſcripta, ſaltèm eo in ſenſu, quo hùc nomen eius, ac teſtimonium accerſitur, hæc egerere non erubeſcit: *Mà con quella facilità, colla quale è ſtata indicibilmente in infinite altre ſue parti* (la pronunutia Latina) *violata, con quella ſteſſa negl' idiotiſmi di queſte parti patiſce hora queſta metamorfoſi, che ci leua i Dittongi AV, & EV quaſi da tutte le parole, fuorche dalle particole AVT, HAVD, &c. le quali ſoprautunte ſin' ora alle ſue diſgratiate Sorelle, corrono riſchio al preſente (quanto è in voi) di ſmarrirſi quà con eſſo loro.* Quis

vnquàm Scriptorum, vel eorum ex reuerendo cœtu, quos protulit Antiquitas; vel ea ex Classe, quam recentiorum ætatum circulus includit, id affirmare ausus est? Quis Diphthongos vniuersas, demptis ijs particulis, quas aliàs sæpenumerò commemorauimus, extinctas est questus? Quænam ijs ex vocalibus, Diphthongos AV, & EV componentibus, perire, vel subticeri dicenda, ita vt Diphthongi vis, ac facultas omninò dissoluatur? Nulla? Ergò non deletur, exterminaturque Diphthongus: sique aliquis optimi iudicij Scriptor (vt Guarinus, ac Manutius) tùm penes Græcos, tùm Latinos corruptam Diphthongorum pronunciationem dolent, id potissimùm scripsere de Diphthongis Æ, OE, & EI: vel saltèm de ea elegantiori, ac delicatiori modulatione, atque temperie soni, superiùs notata, locuti sunt, quę instar accidentis, adhùc deperdita, substantiam minimè lædit, licet nitore aliquo, numeroque hanc expoliet. Quarè sapien-

pientèr magno ab Apparatu eruditi luctus abstineamus, Diphthongorum funeri parentaturi; phantasticam enim cædem, ac imaginario commento somniatam, risus, haud gemitus decet.

IV. Demùm Philo-grammaticus examine suscepto, ac instituto alterius ex nostris Thesibus Italicis, qua repugnare demonstramus, quòd vocalis V fiat, & euadat Consonans, nisi ad latus illi succedat alia vocalis, cuius contiguitate tali pacto comprimatur, & coangustetur, vt sonum reddat, ab pristino abhorrentem, hæc suo ex ærario profert: *Ouero volete, che questa ripugnanza sia inuiolabile ed assoluta, ouero sotto conditione e superabile: se assoluta, come par che vogliate, veggano gl'intendenti da QVANTO BVONA FISICA, in questo particolare, voi siate scorto; non essendo facilmente cosa, più alterabile, della pronuntia, &c.* Sapientes ij (ad huius censuræ grauitatem) qui temporis non laborant caritate, benè ponderent, ad quid hùc Physica

67 *Physicæ nomen intempestiuè ab Anonymo vsurpatum.*

ab Anonymo vocetur, immò verò obtorto collo trahatur: ego enim nullum nactus hìc naturale Corpus, quod Physicæ ſit obiectum; neque ſatis intelligẽs, quo pacto abſtractum ens, & metaphyſicas repugnantias huic liceat examinare, ſolummodò ſupereſt, vt Anonymi admirèr dignitatem: qui ius habet, omnia præpoſterè miſcendi, dempto ſono Diphthongi, duabus ex vocalibus in vnum coalito, cuius miſturam ſe ſe neſcire teſtatur hac inſigni confeſſione, Regienſibus in Animaduerſionibus edita: *Quid verò tibi velis tua illa conſpiratione* (ità nos alloquitur) *conglutinatione, ac ſi Dijs placet, miſtura, & confuſione, NON SATIS PERCIPIMVS.*

68 *Extrà locum huc accita Cõfuſio.*

Verùm cur hùc, Anonyme, abs te eſt accita *Confuſio*? Quid communionis, aut ſocietatis patitur *miſtura*, ordinatè obita, & iuxtà Latini ſermonis Conditores, ac Legiſlatores facta *conglutinatio*, cum *Confuſione*? Synonimica quì tibi videri poſſunt hæc vocabula

bula, *conspiratio, mistura, conglutinatio, complexio, conprehensio, contractio, coniunctio*, queis doctissimi Grammaticæ rei Cẽsores, ac Patres vsi sunt, sicuti sub calcem Primę Partis Diatriba nostra declarat, vt eam *vnitatem* (licet hãc tu malè intelligens, quasi Chimæricam, reijcias, ista bimembri ratione tuis in Latinis Animaduersionibus allata: *Quià vnicum illum, & simplicem sonum quanam in re commisceas, non videmus; tùm etiam quià, cùm vnicum, & simplicem velis, repugnat esse commistum*) quam simul iunctæ binæ vocales in Diphthongo conficiunt, explicarent: atque *Confusio*, à qua sicùt abhorret Natura, sic alienum est Artis ingenium, Naturæ æmulatricis, an Restauratricis? Et sanè haud possumus non mirari stuporem illum, quo te nodari fateris ad hasce dictiones, simùl à nobis nexas, *Vnitas*, & *Mistura*; quasi verò aut sint nouitiæ, aut solùm à nobis simùl absonè copulentur. Cunctis in entibus, quæ Cælorum volumen circula-

re complectitur, vel circà terrestrem peripheriam datur obseruare (spirituali animà hominis demptà) non ne reperitur & *vnitas*, & *mistura*; cum singulorum essentia, substantiæ, indiuiduationes sint vnicæ, quin & indiuisibiles; & tamèn interim singularum ædificia quattuor Elementorum excolata, & benè mista, portione, conflentur? Quid magis solemne Philosophorum omnium in lingua, quàm *Vnitas*, & *Mistura*, vno, eodemque de subiecto vsurpata? Quid magis frequens, magisque decantatum? Nam vt sileamus de Elementari permixtione, quę singulis partibus, simùl iunctis, aufert discernibilitatem; quotiès texi solet vnio aut moralis, aut physica, quæ plura, inuicèm soluta, connectat: ita vt forma spiritualis realitèr in humano Composito cum materiali corporis mole coniungatur, fiatque verè Totum quoddam, & *Vnum* existens, & *multiplex*; & aceruus frumenti moralitèr ita grana singula simùl aggreget, vt alterius Totius

tius nescio quæ resultet denominatio, simùl amplectentis & *multitudinem*, & *vnitatem?* Quarè igitur, mi Philogrammatice, *vnitatem* soni, ex duobus incompletis vocalium sonis coalitam, & *mistam* dum audis, exhorrescis, ac si vniuersæ Africæ caueas aperiremus; & tuum in caput, atque conspectum exhiberemus monstra, quæ nusquàm ampliùs viderit Italia, neque Longobardiæ nostræ theatra conspexerint? Cur intèr ea mente concipis incompossibilitatem, quæ intèr tàm sæpè maxima datur affinitas, concordia, atque communio? Vbicunque reperitur *mistura*, si *confusio* & inueniretur, horrorem verè tuum probaremus, commendaremus, celebraremus: nihil enim mundana in Vniuersitate deterius, perniciosius, detestabilius *Confusione*, Naturæ ipsi, vti præmonuimus, & Arti aduersans, ac modis omnibus execrabilis. Verùm tantùm abest, vt *Confusionem* secum ferat *Conglutinatio*, *Conspiratio in vnum*, atque *Mistura*, vt potiùs, si hæc

absint,

absint, illa progignatur: quid enim magis obnoxium *Confusioni*, quàm rerum illarum multitudo, quas intèr minimè intercedit *Vnio*, necnon *vnitatem* pariens *nexus*, atque *Concordia*?

NVCLEVS VI.

Medullæ quadruplicis.

Ex Obsequationibus I., & II. §. VII. necnon §§. VIII., & IX. pag. 13. & 15. & 16.

I. *Error insignis, ab Anonymo rursùm confirmatus, & commendatus supèr naturà Vocalis V non sinè noua, ac manifesta assertionum, mutuò pugnantium, labe.*

II. *An eadem Vocalis V in aduerbio* Vtinàm, *iuxtà Lexiphoniæ leges, sit dicenda breuis, an longa? cuius quæstionis in definitione pudendè allucinatur Anonymus.*

III. Simi-

III. *Similitudines absonæ, queis vocalis V statum, vim, ac tenorem, vel in Diphthongo, vel extrà Diphthongon vt exponat, ille vtitur, an abutitur?*

IIII. *Commentitia opinio de vi Diphthongi, nobis denuò falsissimè afficta: quod arguit in Anonymo vel liuorem, vel inscitiam.*

I. ADhęrendo probationibus, Num. 54. Partis I. à nobis expromptis, vocales, Diphthongon ingressæ, mutant essentialia ea attributa, quæ obtinebant extrà Diphthongum; qua ex Thesi manat Ypothesis: Vocalem igitùr V substantialitèr à seipsa differre in aduerbio *Vtinàm*, & in particula *Aut*, & hac de re dicta superiùs percurrantur ad Conclusionem IV. Part. I. editam à Philo-grammatico, & à nobis sedulò examinatam. Hic verò, nimirùm

69 Mutatio essentiæ in vocibus Diphthongalibus.

mirùm Philo-grammaticus, alitèr sentiens, duobus hisce in terminis, *Vtinàm*, & *Aut*, vocalem V solam pati mutationē accidentalem, nempè numericam, affirmat, sequenti Propositione: *E però, si come voi negate assolutamente, così noi con distintione affermiamo, hauere l'V quel suono in Aut, che in Vtinàm, non di numero*, &c. *mà di specie*. Igitur, vt vlteriùs nos illationem protendamus, nullum discrimen, quod sit ad rem nostràm obseruabile, habere V dicenda est in *Aut*, ac in *Vtinàm*. Probatur illatio: Numerica diuersitas in aliquibus subiectis, quorum singula constant ex partibus etherogeneis, multa secum trahit discrimina accidentalia. Sic v.g. Petrus numericè differendo à Paulo, alios, ac habeat idem Paulus, habet colores, aliam in membrorum ædificio, ac proportione symmetriam: aliam qualitatum mistuvam, & combinationem: alios actuum liberorum tenores: alias affectiones externas temporum, &c. ità vt intèr v-

trun-

trunque non pauca notare liceat, queis intèr ſe differant per accidens, licet ſpecie, & eſſentia ſimùl conueniant. Alia verò ſubiecta, tali etherogeneitate partium carentia, carent & ſimili accidentium copia, quorum ratione mutuò diſcrepent: vti conſiderare poſſumus in pariete Albo A. qui excepta diſtinctione numerica, ſecundùm ſe cæteris paribus, neutiquàm differt à pariete Albo B. ſicut intèr ſe, eadem numerica diſtinctione dempta, nullatenùs differunt duo exẽpla, æqualitèr exſcripta ab vno, eodemque exemplari. Non ſecùs diſſerendùm nobis eſt de Litteris, ac potiſſimùm de Vocalibus, quæ dictionum ſunt Animæ: cum enim vocem aliquam ingredientes, ſolummodò inuicèm diſſidet numericè, tunc huiuſmodi diſcrimen nihil dicit, quod animaduerti debeat à Scriptore, Lexiphoniam curante. Nam in ſonis numerica diſtinctiò eſt eiuſdem omninò rationis, ac albedo in ſubiectis albis: quod apertè conſtabit, ſi afferantur in medium duo vocabula

cabula eiusdem quantitatis metricæ v.g. *Legi*, & *Sedi*; in quibus vocales E., & I. cum eidem mensuræ temporis illigentur, & eodem sono efferantur, solùm numericè discrepando, nullam, ne in genere quidèm discriminum accidentalium, obseruabilem differentiam mutuò patiuntur. Cum igitùr, iuxtà mentem Philo-grammatici, vocalis V discrepet à semetipsa numericè tantùm in aduerbio *Vtinàm*, & in particula *Aut*, patet euidentèr idem pati illam vtrobìque discrimen, quod patitur nunc locata in aduerbio *Vbì*, nunc in altero *Vbìque*: atque modò in voce *Causa*, modò in dictione *Ausum*. Ergò magis, magisque compertum habemus, sententiam esse Philo-grammatici, quòd easdem omninò prerogatiuas, quas habet in aduerbio *Vtinam*, habeat vocalis V in particula *Aut*. Id probatur: Diuersis dotibus, ac prerogatiuis ornari non est dicenda vocalis V in dictione *Causa*, vel in aduerbio *Vbì*, ab ijs, quas obtinet in prima syllaba dictionis

70 *Vera sententia Anonymi*

Ausum,

Ausum, vel in aduerbio *Vbìque*. Sed eodem pacto philosophandum nobis est de eadem vocali V in aduerbio *Vtinam*, ac in particula *Aut*, quo ratiocinamur de dictionibus geminis *Causa*, & *Ausum*; atque de duobus Aduerbijs *Vbìque*, & *Vbì*: nam vtroque in termino sola datur, iuxtà Philo-grammaticum, distinctio merè numerica: Igitùr alacritèr concludamus, easdem omninò affectiones inhęrere vocali V, philosophando cum Anonymo, in particula *Aut*, ac in Aduerbio *Vtinàm*. Ergò, sicut hìc iacit illa sonum simplicem, & absolutum, vnamque per se syllabam conficit: idem exequetur ibi, quod Pars Prima Diatribæ abundè demonstrauit. Idem nitidiùs exponitur à Philo-grammatico in Obseruatione §. VIII. vbi hæc habet: *In questa prima parte di questo §. riconoscete le due maniere di pronuntiare i dittongi AV, & EV, da noi accennate: cioè quella, che si pratica nelle particole Aut, Haud, Heus &c. oue l'V suona, come in Vtinàm:*

71 *Nona probatio, petita ex Anonymo.*

nàm: & à questa voi asserite, e noi professiamo, che sia conforme la nostra pronuntia; ma come abuso però la condannate, abbracciando quella, colla quale si pronuntiano Aurum, Thesaurus, Causa, Euge, Europa &c. e questa solo riputate la vera maniera, che, come dite, conforme alla naturale, rigorosa, e strettta pronuntia, per natura e rigor di dittongo, si debba tenere: nella quale solo riconoscendo la vera e perfetta conglutinatione, volete, che si pronuntij Ast, Hafd, Hefs &c. con pronuntia veramente assai diuersa, e molto differente dalla nostra. His enim Philo-grammaticus in verbis, Primò se se distinguere testatur innegabilitèr in particulis *Aut*, & *Haud* vocalem V ab vocali A, ac si nullo modo inuicèm necterentur: ea prorsùs ratione, qua eadem vocalis V solitariè sonat, ac nulla alia ab littera pendet, in aduerbio *Vtinàm*. Secundò eandem rursùm distinctionem intrudit imaginariam, & nullo ab Auctore sanæ mentis inuentam, diph-

thongos

thongos intèr, quæ ingrediuntur dictiones *Aurum*, *Thesaurus*, & *Causa*; nec non particulas *Aut*, & *Haud*, quod satis alibi explosimus: risimusq; exequiales ad Nænias, quas instàr Præficæ lamentabundæ confecit miser Anonymus supèr vi diphthongorum AV, & EV; quam deperditam, mortuamque sibi fingit cunctis in dictionibus Latinis, & Græcis, viuentemque tantummodò in particulis nupèr commemoratis, cæterisque eiusdem classis, ac formæ. Quarè hoc secundo deliramento prætermisso, regrediamur ad primum. Si ergò vocalis V in hisce particulis *Aut*, & *Haud* simplicis soni est, cum integra essentia vnius syllabæ coniuncti, seiunctique penitùs à sono vocalis A. quemadmodum à sono cuiuscunque litteræ confinis discretus est sonus vocalis eiusdem V in aduerbio *Vtinàm*: quomodò sibi cohæret Anonymus in Obseruatione §. IX. isthæc iactans: *Chi mai in luogo alcuno è stato udito pronuntiare A, V, E, V. diui-*

72 *Anonymi clara discordantia.*

 si è

si e disuniti? Niuno certo, che noi sappiamo, ne pur di quelli, che sono triuialmente stati istrutti nelle lettere Latine; onde sarà meglio veder più tosto quello, che vi vogliate dire, che quello, che diciate, ed interpretare questa conclusione non come suona, ma come consuona alla vostra dottrina. Eccè vnus, & idem Anonymus diuersis in locis (omninò similis ij Comœdo, qui diuersis sub personis multos Actores exequitur) negat id, quod & affirmat: volens, quòd vocalis V, in particulis *Aut*, & *Ceu* solùm numericè differat ab V, quæ sonat in aduerbijs *Vtinàm*, *Vbi*, & *Vbique*; sicùt numericè differt eadem ab V; quæ ingreditur particulas *Haud*, & *Seu*: simùlque negans, quòd disiungi debeat à præcedente vocali A, vel E; cum euidentèr, iuxtà ipsius opinionem, sit ab his disiungenda; sicuti in aduerbijs *Vbi*, *Vbique*, & *Vtinàm* à quacunq; confini littera, vti suprà notatum est, segregatur. Sed assuamus, nectamusque huic palmari absurdo

73 *Alia repugnan*

surdo

ſurdo aliam repugnantiam, quæ licèt ſaltèm partialiter alibi ſit à nobis obſeruata, tamèn nullam nauſeam procreabit, mouebitque, cum aptè huic loco congruat. Agens Anonymus de differentia ſpecifica, atque numerica Litterarum in Obſeruatione §. VII. pag. 14. eam ſitam, & benè, arbitratur in ratione ſoni: ita vt quæ nec *Soni natiuitate diſtant*, neque *diuerſo rictu ſunt pronunciandæ*, ſpecificè conueniant, & ſolùm diſſideant numericè. Id compendioſè continent hæc eiuſdem verba: *Dourebbeſi però credere, che voi da buon Determinatore, laſciate le differenze numeriche, cioè accidentali, che poco variano, v' appigliaſte a quelle, che rendono le coſe trà sè molto differenti, ed aſſai diuerſe, quali profeſſate, che ſiano le noſtre pronuntie* (ideſt vſurpantes, vel conficientes ſonum vocalis V. nunc vti iacitur in aduerbio *Vtinàm*, nunc vt effertur in dictione *Theſaurus*) *cioè alle generiche e ſpecifiche: ſecondo le quali appunto SIAMO DIFFERENTI,*

tia, quæ admittitur ab Anonymo.

 come

come nel §. *seguente per vostra confessione mostrerassi*. Paragraphus verò, iuxtà succedens, quem appellat hic Anonymus, duas eas pronunciationes, quas amplectitur nostra superior parenthesis, exponit; modò nimirùm efferentes V eo sono, quem hæc vocalis habet *in Vtinàm*; modò altero, quo eadem potitur *in Aut*. Hinc igitùr patet, litteras, ac potissimùm vocales, queis Consonantes animantur, intèr se differre specificè ratione soni, quo diuerso modo pronunciantur; sicùt differunt solummodò numericè, quando, vt ita dicam, diuersas quidèm diuersis in dictionibus assequuntur vbicationes, sed diuerso nullatenùs modo, ac sono ex ore loquentis emergunt. Ergò, vt vocalis V. in aduerbio *Vtinàm* sit dicenda specificè conueniens cum ea vocali V quæ ingreditur particulam *Aut*, nullam deberet pati vtrobique *soni* diuersitatem: cum enim vis, & facultas specifica litterarum sita sit in *sono*, si patiatur in hoc mutationem, patietur essentialem;

essentiæ

essentiæ enim sunt indiuisibiles, quamobrèm partialiter nequeunt lædi, quin totalitèr violentur. Quì ergò Philogrammaticus dictis, vna vice, consentit ijs propositionibus, quas profert alia; dum & in Obseruatione II. §. II. pag. 6. loquens de vocalibus, Diphthongon conficientibus (hasque intèr numeratur V.) ait, pronunciandas *NON senza QVALCHE DIMINVTIONE DI SVONO*; & in Latinis Animaduersionibus, Regiensi in Typographia cusis, affirmat, *Ad Conficiendam Diphthongum esse opus Contractione, & compressione quadam vocalium, ita vt ambæ vocales vnica vocis contentione proferantur*: quod demùm nostræ sententiæ velificat, atq; Laurentij Vallæ, qui vocalium *vocem*, in Diphthongo coeuntium, vult esse *retusam*? Interrogo: Vocalis V in aduerbijs *Vtinàm*, *Vbi*, & *Vbique* efferenda ne est, Anonyme, aliquà cum diminutione soni sui natiui, simplicis, & aperti, ità vt opus habeat loquens, ad hoc vt illam benè,

 & le-

& legitimè expromat, *Compressione*, atq; *Contractione?* Respondebis profectò, minimè. Rursùm rogo: Eadem vocalis V in particulis *Aut*, & *Seu* tali ne indiget, vt aptè proferatur, *Compressione*, & *Contractione soni*, nec non *vocis Imminutione?* Respondebis sinè dubio, vtique indiget. Igitùr, ego infero, vocalis V in aduerbio *Vtinàm* differt specificè ab vocali V, quæ includitur in particulis *Aut*, & *Ceu*. Probatur hæc illatio: Ratio specifica vocalium per te constituta est *in ratione soni*; ità vt illæ inuicèm specificè dissidere dicantur, quæ *in ratione soni* mutuò differunt. Sed etiàm per te vocalis V in aduerbio *Vtinàm* differt, non solùm leuitèr, sed & notabilitèr, *in ratione soni* à vocali V, quæ ingreditur particulam *Aut*: Ergò illa ab hac specificè dissidet. Secunda Propositio, in qua concipi potest aliqua difficultas, vera esse demonstratur: Nàm toto Cœlo inuicèm distant *sonus apertus*, & *sonus obtusus*: sed prior vocalis V requirit

quirit

quirit *apertum*, *obtusum* posterior: ergò notabilitèr ambæ vocales inuicèm distant. Inuicèm distare notabilitèr *sonos apertum*, ac *obtusum* tuis ipsis ex Thesibus ostendimus. *Diuersitas rictus*, vt habes in Obseruatione Italica §. VII. quo vocales pronunciantur, *sonorum* indicat notabilem diuersitatem: sed nullus negare potest, qui surditate laborans, *soni* non appareat ineptus iudex, *diuerso rictu*, *nempè diuersa labiorum conformatione*, *sonos* edi *apertum*, *atque obtusum*: Igitùr etiàm per te constat euidentèr, vocalem V in aduerbio *Vtinàm* differre ab ea vocali V, quæ admittitur in particula *Aut*. Igitùr per te prior distat à posteriori specificè: & iterùm ex tua confessione specificè conuenit cum eadem.

II. His tamèn non obstantibus, haud minoris est iudicanda momenti ratio, verè neruosa, quam affert Anonymus, vt probet, vocalem V in aduerbio *Vtinàm* eiusdem speciei dicendam, cuius est vocalis V, constituta in particula

74 *Vocalis V. in Vtinã breuis, est longa, vt exponit*

Anonymus. cula *Aut*, contineturq; sequenti forma in Obseruatione §.VI. *Ma diciamo ben si* (ambas vocales V vtroque in loco) *hauere quello stesso suono di specie; perche ambedue sono vocali, e ambedue sono dotate D'VGVAL TEMPO PROSODIACO: onde potendo dire, che, NEC TEMPORVM momentis, nec soni natiuitate distent, potremo anche dire, che, sint eiusdem speciei, e che, sint pronuncianda eodem rictu.* Hisce ex verbis deducere datur: Ergò, si Vocalis V in aduerbio *Vtinàm est æqualis temporis prosodiaci* cùm vocali V, quæ includitur in particula *Aut*, vel vtrobique ambæ vocales sunt longæ, vel ambæ breues. Id manifestum fit: Primò, quià id significat penès omnes Grammaticos *Tempus Prosodiacum*, vel *mensura temporum vocis*, quam vidimus alibi examinari, ac definiri à Lexiphonia. Secundò, quià cum vocalis sit anima dictionis; (hac .n. mediante & sonat illa, & conficitur, vnde sequēs Conclusio Quin-

tiani

tiani Stoæ *cap. 2. Epograph. II. Omnis demùm syllaba à vocali, non à Consonante fit: inueniri tamèn ST syllabam sinè vocali superiùs demonstrauimus, quæ vox silentium persuadet)* sequitur propterea, quòd vniuersæ litteræ dictionum materialitèr se habeant; atque formalitèr solæ vocales, illas ingressæ, respectiuè ad tempus prosodiacum debeant considerari. Hinc perpendendæ si deligantur à Præceptore dictiones hæ, *Cado*, & *Cedo*, statim discipulum interrogat: an vocales A, & E in syllabis *Ca*, & *Ce*, sint natura sua breuiandæ, an verò longandæ, prætermissa quasi Consonante C, quæ, instàr materiei, se se accommodat formæ vocalis; idq; vniuersalitèr de cæteris vocibus affirmandum. Hoc præmisso, sic arguo: Vocalis V in particula *Aut* est longa: vocalis V in aduerbio *Vtinàm æqualis est temporis prosodiaci* cum vocali V. in particula eadem *Aut*, iuxtà assertionem Philo-grammatici. Ergò iuxtà Philo-grammaticum vocalis V in aduerbio

Consonantes sinè vocali.

bio

bio *Vtinàm* dicenda longa eſt. Quam Propoſitionem huiuſce Syllogiſmi negas, Anonyme? Primam? Ergò è contrario vocalis V in particula *Aut* natura ſua corripitur. Irerùm, ſcabens caput, & frontem corrugans, renuis? Quid ergò affirmes, & ſentias, enuncia. Dices fortaſsè, neq; contrahendam, neque longandam: quia cum dimidiam ſyllabam tantummodò efformet, alteram eiuſdem medietatem conficiente vocali A, dici neque proindè poteſt, quòd ſit breuis, aut longa. Sed contrà eſt: Primò, nàm ſi vnam in ſyllabam coit verè vocalis V cum vocali A, ità cùm illa permiſcetur hæc, vt ſyllabæ, reſultantis ex ambabus, vtraque ſimul naturam combibat: quarè ſi illa (nimirùm ſyllaba) corripitur, vtraque vocalis dicenda breuis eſt; vtraque longa, ſi illa producatur. Hinc ſi roges, an vocalis E in dictione *Muſæ* ſit breuis, an longa (omnis enim vocalis penès Grecos, & ſuo modo penès Latinos, aut breuis, aut lõga, aut anceps eſt)

respon-

respondeo, esse longam; quià syllaba, quam vnà cum vocali A constat vocalis E, suopte ingenio producitur. Si verò rursùm vrgeas: cuiusnam quantitatis vocanda sit eadem vocalis E, in præpositione *Præ*; cùm distinctione respondendum: Sequente nimirùm Consonante aliqua, longari, v.g. *Præcedo*; corripi autèm, alia vocali iuxtà succedente v.g. *Præuro*: syllaba enim, quam conficiunt indistinctè simùl vocales A, & E, ibi producitur, hìc corripitur. Et idem omninò solemne est reliquis in dictionibus, aut diphthongatis, aut Diphthongo carentibus. Contrà est secundò ex Canone Despauteriano, qui habetur lib. 2. cap. 8. aliàs commemorato: *Vndè obiter cognoscas, quando aliqua segregatur Diphthongus, breuiari primam vocalem illius Diphthongi*. Ex quo arguo: Ergò vtraq; vocalis, nisi duas ambæ soluantur in syllabas, in Diphthongo longatur. Probatur Consequentia: Fracto nexu intèr vtramque, prima mutat naturam, &

ram, & breuis euadit, nec non nominatur, quòd prius non verificabatur; retinente altera vim suam, nisi alitèr aliundè fiat. Ergò hæc mutatio, atque nouitas indicat anteriorem vtriusque productionem. Contrà est III. Stoæ assertio est Epograph. II. cap. 5. Vocales producendas Veteres geminasse: vt *Feelix*, prò *Felix*; *Viinum*, prò *Vinum*. Hoc probè statuto, sic argumentor: Duplex E, vel duplex I vnicam syllabam longam formabat antiquitùs; & probabile est, quòd tunc aliquantulùm, ac delicatè vtraque pronunciaretur, cum suprà monuerimus ex Emmanuele Aluarez, penès priscos vocales omnes longas etiàm à Popello discretas à breuibus: idemque affirmandum reor de superflua vocali E in *Omnes*, *Arteis*, *Legeis*; prò *Omnes*, *Artes*, *Leges*. Iam sic interrogo: differeretne prudenter, qui hoc pacto ratiocinaretur: Vocales binæ I conficiunt vnam syllabam longam. Ergò vnaquæq; ex his *æqualis temporis Prosodiaci* est cum vocali,

cali, quæ ingreditur aduerbium *Ita*, vel dictionem *Iter?* Prudentèr? Immò verò insipiens iudicanda responsio esset, & ferula strenuè donanda. Neque dicas I in *Iter*, aut *Ita* esse vnius temporis, vt potè breuem: igitùr æqualem esse alteri ex geminatis vocalibus I in *Vinum*, cum singulæ vnica temporis mensura polleant; simùl enim iunctæ conficiunt vnam syllabam, duo tempora complectentem. Respondeo siquidē, niti equiuocatione hoc argumentum. Nàm quis vnquàm dicat, vocem monosyllabam longam duabus breuibus constare vocalibus; ità vt ex duobus elementis, simùl coalitis, resultet compositio, contrariæ omninò vis, atque naturæ; ac si duobus ex igniculis, simùl iunctis, glacies progigni posset, aut frigidus latex? Igitùr, vt tantus scopulus euitetur, solidè dicamus: Non litteris componentibus, sed syllabis compositis, alligata tempora à primis Lexiphoniæ Moderatoribus; ità vt syllaba sola secundùm se dicenda sit breuis,

75 *Rursū præciditur effugium Anonymo.*

uis, aut longa, vt potè habens denominationem Totius, habentis in se dotes eas omnes, quas partes singulæ, quando erant disiunctæ, obtinebant; quarè minùs propriè philosophatur, qui singulis litteris, licet sint vocales, syllabam conficientibus, rationem istam temporis attribuit. Hinc fit, vt vocales eædem, queis constat syllaba, indiscriminatim sint participes quantitatis metricæ, quæ de Toto prædicatur: ita vt si Totum, nempè syllaba, producatur, & illæ dicendæ sint longæ; breues verò, si hęc corripiatur. Contrà IV. Nam Philo-grammaticus apertè docet, vocalem V *æqualis temporis prosodiaci* esse in aduerbio *Vtinàm*, ac in particula *Aut*: sed absolutè in aduerbio *Vtinàm* breuis est: ergò & in particula *Aut*. Secunda Propositio, quæ videtur scopus, vnicè apertus Aduersariorum contradictioni, probatur testimonio Maronis, qui vnus est instàr omnium. Primò id dilucidè nobis significat Princeps eloquentissimus Epi-

corum

corum in Eclog.X. verſ.135.

Atque VTINAM ex vobis vnus, veſtriq; fuiſſem

Aut cuſtos Gregis.

Secundò, idem cunfirmat lib. 1. Æneid. verſ. 579.

Atque VTINAM Rex ipſe Noto compulſus eodem

Afforet Æneas.

Tertiò demùm hoc repetit diſertè lib. 2. verſ. 110.

Feciſſemque VTINAM! Sæpè illos aſpera ponti

Interclusit hyems.

Quid ad hæc Philo-grammaticus? Quid diſcipuli Corrigienſes, hoc Duce, & Directore Lexiphoniæ Canones edocti? Quid Sauarus, quid Priſcianus Cæſarienſis, quid Cynici Sectatores, ac Patroni tanti hominis, noſtramque ſententiam, nimirùm Veritatis in caput, coniurati Antagoniſtæ? Ego ſanè mente reputare neſcio conſilium, quod ſuſcipiant, aut velamen, quo tegantur: niſi fortè loco vtriuſque pudor ſup-

suppleat ruborē, cuius sub purpurà splendidè, ac certatī omnes canant Palinodiā.

76 *Similitudines exoticę, quas in mediū profert Anonymus.*

III. Nobis interim, dum suis vnà cum asseclis tàm læto in cantù distinetur Anonymus, antequàm ab vocalis V. discedamus examine, placet hic animi gratia, nempè vt recula aliqua lepidiuscula defatigatam disceptationibus hisce mentem tantispèr recreemus, in medium proferre tres insignes similitudines, quibus ille nititur explicare diuersitatem eam status, ac tenoris, quem obtinet vocalis V, vel extrà Diphthōgon, vel in hac, collocetur. Duę priores expromuntur nobis ab Anonymo Latinis in Animaduersionibus, editis ab eodem Regij: postremam attexuit Italicis Commentationibus, impressis Bononiæ: scilicèt in Obseruatione §. VII. pag. 10. sub finem. Prima, ac Tertia petuntur ab homine; à libro secunda. Vniuersæ ad hoc munus ab Auctore diriguntur, vt probent, eam in neutro ex his terminis, nimirùm, vel in Diphthongo, vel extrà, immutari sustantialitèr, licet leuitèr,

uitèr, & accidentalitèr alteretur. Prima est: In Diphthongo constituta vocalis V fit instàr hominis impinguati: instàr hominis gracilis apparet extrà Diphthongum. Ingeniosa sanè contentio, ac erudità! Sed ad pleniorem latentis acuminis intelligentiam peto ab Anonymo: Quonam cibo, vel qua fartura facta obesior impinguatur hæc, & distenditur in Diphthongi cauea, ita vt mole crescat, & ex ore loquentis sono prodeat amplificata? Sui ipsius vi tantùm? Contrà est: quidni enim idem exequatur extrà Diphthongon? Auxilio, ipsi præstito ab socia vocali? Contrà primò: Ergò sonus vocalis A, vel E iuxtà nostram sententiam miscetur cum sono vocalis V, ità vt vnus euadat. Probatur illatio: A sono vocalis A, vel E fit obesus, & amplificatur sonus vocalis V: ergò sonus priorum ingreditur sonum posterioris, ad hoc vt crescat, & fiat pinguior. Id demonstratur: quì enim hic augeretur, & pinguesceret, si diuisus ab ipso prior remaneret? Contrà Secundo: Sonus

Prima similitudo.

vocalis V in Diphthongo, iuxtà Philo-grammatici assertionem, idem omninò est specificè, ac si iaceretur extrà Diphthongon: nam idem est, vt ille affirmat, in aduerbio *Vtinàm*, quod Diphthongo caret; & in particula *Aut*, quæ diphthongatur. Sed extrà Diphthongum à nulla confini littera impinguatur; se enim solo sonat, & vnam syllabam conficit. Ergò quomodò in Diphthongo (in qua nullo modo de pristino statu variatur, dempta distinctione numerica, quæ nihil hoc in casu dicit, vti suprà demonstratum est) ratione sociæ vocalis fit obesa: conseruatur gracilis, ab eadem si segregetur? Prætereà: Quid deperdit vocalis V soluta Diphthongo, ita vt gracilescat, & fiat minor? Conglutinationem, qua cum altera vocali nectebatur? Contrà est: *Nobis satis constat* (sunt verba Philo-grammatici, è Regiensibus Animaduersionibus eiusdem petita) *illas voces (conglutinationem, conspirationem, & misturam)* METAPHORICE' *&* IMPROPRIE' *vsurpatas, nil aliud significare*

gnificare, *quàm copulationem*, *siuè coniunctionem vocalium*, VIMSVAM SERVANTIVM. Ergò patet ex hisce, nihil deperdi à vocali V extrà Diphthongon, nisi abusiuam, & allegoricam vnionem, nihil solidi realitèr in eadem vocali importantem, sed solam vbicationis illius iacturam sui negatione gignentem, ratione cuius vocales diphthongales ambæ contiguæ appellari poterant; *vim suam* tamèn *pristinam*, habitam extrà Diphthongum, *retinentes*, atque *seruantes*. Nùm deperdit communionem soni vocalis A, vel E, cuius erat particeps in Diphthongo? Contrà iterùm est: id enim dicendum euidentèr obstare menti Philo-grammatici, qui *duplicem sonum* admittit in duplici Diphthongorum vocali: Nam si duplex est sonus earundem, ergò alter erit sonus vocalis A, vel E; altèr autem vocalis V. Ergò alter ab altero in Diphthongo prosilit distinctus. Ergò vocalis V suum natiuum sonum sibi seruans extrà Diphthongum, nihil omninò deperdit, quod anteà

possideret. Præterea rediret difficultas, superiùs obita: nobiscum enim sentiret Philo-grammaticus, affirmando vocalem V extrà Diphthongon eatenùs audire gracilem, quatenùs ea partiali vi soni exspoliatur, qua donabatur in Diphthongo, dum vnà cum sono sociæ vocalis A, vel E suum permisceret, & sic ex ambabus, simùl mistis, vnicus conficeretur. Ergò fæculento metallo elaborata est hæc Prima similitudo. Demùm; nonne docet Anonymus suis in Animaduersionibus Latinis, Vocales in Diphthongo *contrahi*, *coangustari*, *& comprimi*: nec non in Obseruationibus Italicis, nimirùm in Secunda §. II. earundem *sonum non nihil imminui*, quando Diphthongum conficiunt? Ergò potiùs versa vice Vocalis V, quippè *contracta*, *coangustata*, *compressa*, & *sono imminuta*, in Diphthongi compositione, vocanda est gracilis, & pinguis extrà Diphthongum, vbi cessat omnis *contractio*, *coangustatio*, *compressio*, *sonique iactura*.

Verùm minus corrupta minimè videri

videri debet ſimilitudo Secunda, nimirū, ſequens: Vocalis V in Diphthongo eſt inſtàr *voluminis, in torculari compreſsi*: extrà verò Diphthongon, æquiparanda eidem volumini, *in bibliothecæ forulis collocato*. Egregia excogitatio, ſed ſuperiori aduerſans, & contraria! Peto enim: Nonne in torculari compreſſus liber eſt gracilior, quàm in forulis bibliothecæ videatur? Quis id negarit? Ergò & vocalis V, iuxtà vim huiuſce ſimilitudinis, erit & ipſa in Diphthongo comparanda homini gracili; homini pingui extrà diphthongon. Ergò hac ſimilitudine ſecundà prior exterminatur, & euertitur. Si autèm dicas, eodem ſe ſe modo volumen habere in torculari Bibliopolæ, ac ſe habeat in librarijs loculamentis; compreſſionem enim, qua laborat ibi, hìc etiàm ſeruat, contrà eſt: Nam ſequitur eodem ſe ſe modo vtrobìque habere vocalem V, ac propterea gratis excogitari ab Anonymo ſymbolum rei diſparis (tale enim præ ſe fert omne ſimile) ad hoc, vt diſcrimen expo-

77 *Secundà ſimilitudo Philogrammatici perpenditur.*

nätur, intercedens inter vocalem V, quam possidet Diphthongus; & aliam vocalem V, iacentem extrà Diphthongon. Tandèm: licet liber extrà torcular Bibliopolæ mole cresceret, & aliquantulum amplificaretur, eiusdem folijs inuicèm disiunctis, & maiori vi aeris intèr singula recepta; tamèn id accidit ipsius respectu materialitèr, nàm formaliter nullam ille omninò patitur mutationem: in ratione enim libri solam mutat vbicationem, reliquis sui constitutiuis, seq; integrantibus, solidè conseruatis. Igitùr, iuxtà mentem Anonymi, idem affirmandum de Vocali V. Ergò falsum est, quòd formalitèr vno in loco impinguetur, gracilescat in altero. Omitto huiusce terminum Similitudinis nimis latè patere; ac propterea quidquid sub torculari, vèl alio pondere compressum coangustatur, ac deindè extrà torcular, & à pondere immune, aliquantulum reparat se se, & amplificatur, vice voluminis ab Anonymo potuisse vsurpari: siuè sit laneus pannus; siuè serici filamenti fasciculus; siuè pa-

pyra-

pyracea ſtrues, minimè compacta, & in vnum iuncta; quæ res non ità quadrat arguto ingenio Philo-grammatici, à quo delectum meliorem expectaſſemus, nec nō eruditioni magis accommodum.

Sed ad triarios peruenimus; nimirum tertiam ad ſimilitudinem, quam profert Anonymus, præcedentibus neutiquàm vi, & pretio poſthabendam. Huius autèm tenoris eſt: Vocalis V in Diphthongo, ſcilicet cum altera vocali conglutinata, ſimilis habenda Hectori, qui ob oculos Æneę cōſpiciēdus exhibetur *Exuuias indutus Achillis*: extrà verò Diphthongon, nullo modo perſonata, ſeſe ſyncerè, vti re ipſa eſt, profert. Cæcam profectò caliginem nobis offundunt hæc ſpolia, adhibitæ ſimilitudinis intelligentiam egregiè offuſcantia. Quarè vocalis V, immunis à Diphthongo, nihil externi ornamenti ſibi vindicat: aliena veſte ſe tegi patitur, in Diphthongo? Quo fundamento nixus Anonymus eam vim ſibi fingit conglutinationis, intèr diphthongales litteras intercedentis, vt has reddat incognitas, & peregrino

78 *Tertiæ ſimilitudinis, ab Anonymo vſurpata, labes.*

hoc velo repræsentet obnuptas? Vbi texta vestis, qua hæ vocales pallientur? Vocalis V. in aduerbio *Vtinàm*, alienone sono (vnicæ enim exuuiæ, queis fieri possunt litteræ spectabiles, petuntur à sono, quo fiunt enunciabiles) loquentis è labijs prodit in campum; an proprio, simplici, & nulla fractione, aut compressione, imminuto? Certè hoc secundum de sono vocalis V in aduerbio *Vtinàm* verificatur: ità vt ridicula videatur illa contentio, qua compararetur Hectori, gestanti *Achillis exuuias*. Cum ergò diphthongales vocales eandem *vim seruent*, qua fuerant ornatæ, demptæ ex ordine diphthongalium, cur hìc proprio sono efferuntur, vtentur ibi alieno, & vt ita loquar, personato? Atqui per transennam obseruemus hìc quæsò maximum interuallum, quo inuicèm distant hæ similitudines, in eundem scopum ab Anonymo collineatæ. Nullam sanè proportionem præ se fert homo, vel obesus, vel gracilis: aut liber modò compressus, modò maiorem reuocatus ad laxitatem, cum Hectore,

nunc

nunc ſuis veſtibus tecto, modò alienis ornato. Et tamèn tot diſparata ſimùl colligit, vt varietatem, licet incondi-tam, facta textura referat: quique miſ-turæ vim in Diphthongo ſe ſe neuti-quàm fatetur intelligere, quæ ſimùl com-poni non deberent, inuicem permiſcet, vt nobis Chimæricas mixtiones obijciat, quas & nos nullo pacto, connixa ſtrenuè mente, comprehendamus.

IV. Iterùm verò in Obſeruatione II. §. VIII. vt nauſeam moueat, redit ad vomitum Philo-grammaticus, hæc in noſtrum caput iteratò iactans: *Voi dite nel §. V Artic. IV. che ſe non ſi diſsimu-laſſe vna vocale ne' Dittongi, non ſi ſen-tirebbe la coſpiratione e conglutinatione tanto neceſſarie, &c. ed hora dite, che ſe non s' ode la formal conglutinatione delle due vocali, perſo è l' iſteſſo Dittongo &c. Però ſe non ci ſouuenite (oltre la difficol-tà d' vdire la formal conglutinatione) non ſappiamo ſuilupparci da vna mani-feſta contradittione.* Vtque probè calum-nia cognoſcatur, & mens liuida enude-tur Anonymi: ex vna parte colloce-

79 *Malè fūdata obiectio Anonymi de noſtra pronunciatione Diphthongi.*

mus

mus fucata blandimenta, & vaferrimam protestationem, qua initio suarum Obseruationum nobis palpum obtrudit, explicare se simulans candidum finem, quarè has concinnarit, sequentis tenore phraseos: *Onde risoluo stendere di nuouo alcune altre ponderationi, ma in Lingua volgare, sì per essere molto attaccate al vostro testo, sì per condiscendere à chi non deuo contradire, &c.* ex alia verò Conclusionem, de recta Diphthongorum pronunciatione à nobis editam, & superiùs pag. 49. §. I. hoc pacto luci expositam: *Io dico, che queste dizioni (Aut, Haud, Ceu, & Seu) hanno vn sol suono: e questo sì fattamente misto e per così dire in vna sola sillaba cospirante, e conglutinato, che per modo alcuno, e per qual si voglia velocità di pronunzia tal meschianza, conglutinazione, e cospirazione non debba distinta, e disunita vdire l'orecchio: perche la proprietà, e natura di questi Dittongi così richiede.* Simul æqua contentione committantur iam hi duo textus, ac Paragraphi; alter, nempè ab Philogrammatico, putidè, & simulatè confec-

tus,

tus, quo se se obeundis in Obseruationibus nostræ menti, & scripturæ fideliter hæsurum promittit: alter verò expromptus nostris ex Thesibus, nostro stylo nitidè expressus, iuxtà canones Veritatis luce coràm vulgatus, quo docemus: *Quacunque tandèm Diphthongo scriptili, & pronunciabili vnicum edi sonum: non quidèm simplicem, ac si vnica à littera iaceretur, sed mistum, scilicèt duobus ex partialibus sonis, ab singulis vocalium, diphthongon ingredientium, promanantibus, ita compositum, atque conflatum, ac si duo hi soni partiales nodó quodam piceato essent conglutinati, arctè iuncti, & in vnum conspirantes.* Perpendantur ambo, ambo iuxtà ponantur, vt nitidiùs elucescant. Qua fronte, qua ferrea lingua, nostrarum Thesium religiosè sensui se se inharære iactabit, qui contraria nostræ & sentẽtiæ, & locutioni penitùs comminiscitur, coaceruat, enunciat? Vndènam potest elicere, qua ex dictione, qua ex strictura vocis, quo scriptionis ex apice; quòd altera ex geminis vocalibus, Diphthongum componenti-

nentibus, noſtra ex doctrina, ſit diſſimulanda, extrudenda, ſupprimenda? Qua ex rima hic turbo eluctatur in lucem? quo ex vulnere hic vermis; hic hoſtis quo ex cuniculo? Hæ voces *Miſtura*, & *Conglutinatio* quo pacto, vt aliàs inclamatum eſt, pati poſſunt vnitatis eius ſimplicitatem, quam vocalis vnius extruſio, diſſimulatio, ſuppreſſio progigneret? Quod commercium cum conglutinatione enti ſolitario, partium experti? Quì ſe ſe bifariàm extendet vnio, ſi terminus ſit vnicus, vbi excipiatur? Væ homini! ſi Natura, dum nectit cum forma ſpirituali corpus organicum, pars ex eis altera deleretur. Virtus vnita corroboratur, vt vulgari conſtat adagio, non debilitatur, infirmatur, imminuitur. Anonymus ex immenſa Oceani cauea cribrum, vt ſentio, conficeret, quando ſententia hæc, ab ipſo ſomniata, vim aliquam aſſequeretur: quoniàm nexio illa continua, quæ aquarum, ſucceſſiuè aduenientium, partes vnà copularet, alteram ſemper ex ijs extingueret; quamobrèm dum tumidum Mare,

& latè

& latè redundans, expectaretur, nescio qua ariditate imperceptibili exhaustum, paulatim crescẽdo, deficeret. Abeat ergò ad Danaides: quarũ ad colos, & pensa fabulosa isthęc hominis cõmenta reijcio.

NVCLEVS VII.
ac postremus
Medullæ duplicis.

Ex additamento Obseruationis §. IX. pag. 17.

I. *Testimonium, atque suffragium R. P. Dominici Gamberti, ineptè, atq; temerè ab Anonymo sugillatũ.*

II. *Errata Corrige, siuè Indiculus allucinationũ, Retractationũ, & Cõtradictionũ, quas vt plurimũ sparsim delibauit hæc Diatriba tum ex Animaduersionibus, ab eodem Anonymo Regij Latinè cusis, tùm ex Commentationibus Italicis, Bononiæ ab ipso luci traditis.*

I. NOn est cur lacertosè hìc laboremus, vt eius Crisis & audaciam, & vanitatem pluribus expinga-

80 *Crisis vanitas, ab* ...

Anonymo edita de Testimonio P. Gamberti.

mus, qua Corrigiensis Anonymus Philogramaticus, nimirùm Petrus Maria Theseus, Doctor Physicus, & nunc tẽporis Saxoli Didascalus, R.P. Dominici Gamberti testimonium, atque suffragium, erogatum, adhibitumque eiusdem contentione mentis, & eiusdem tenore calami, quo R. P. Io: Baptista Ricciolius nostras Apologeticas Theses, de recta Diphthongorum pronunciatione Italicè editas, confirmauit, atq; probauit, hac ieiuna confutatione improbat: *Quella poi* (idest subscriptio, superiùs pag. 54. à nobis allata) *del Padre Gamberti potrebb' essere, che contenesse verità quanto alle cose rappresentategli à viua voce; perche quãto all' Apologetica Determĩatione tãto sarebbe lõtana dal vero, quãto dall' euidẽza è lõtãa l'oscurità.* Diatribæ enim huius vniuersæ (cuius omnem succum, ac vigorem ijs ex argumentis hausimus, eruditisque notitijs, quibus R. P. Gambertus egregiè nixus, stylum solidè tractauit, dũ, quid iudicaret, exposuit; & sicuti nostræ sententiæ pondus alta mente percepit, ita Philo-grammatici sententiã, quẽ corã allocutus est, adeo sensit à veritate alienam, & in errore per-

tina-

tinacem, vt ſui demùm è præſentia duriuſculè hominē ſit coactus extrudere, ne cęco lumina adhibere, ſurdoue cantillare compelleretur) tenor, ac textura dilucidè declarat Auctoris imprudentis, nimirùm Anonymi, imbecillitatem, ſuopte ingenio pronam ad lapſus, & ad errata procliuem. Et licet tantæ moles Diſſertationis neutiquàm requireretur, vt deluſi Logodædali elumbis opinio, & ieiunam ad lucernam ſuffarcinata lucubratio, euerteretur: tamèn vt doctorum hominum dignitati ſatisfieret; vt imbecillior iuniorum intellectus contrà fallacię machinamēta corroboraretur; vt inſipientis Pręceptoris imago ad viuum conſtaret, maluimus videri nimij, & hac in quæſtione tractanda prolixiores, quàm contenti ſola clade Philo-grammatici, nulla interim fulcra ſufficere fluctuantibus, & Sapientibus ea blanda ſpectacula denegare, quæ parere ſolet neruoſo rationum ambitu, & aliquo cum ſale, nitidè ventilata Diſceptatio.

II. Verùm enim verò vt luculentiùs id fiat, & ſcopuli ij omnes, quos obitæ Diatribæ non anguſto in æquore, ordinatè, diſiunximus, ſimùl congeſti faciliùs oculos impleant, & expeditiùs euitentur, ad huiuſce calcem cautè decreuimus omnes

81 Ordo, quo Errata Corrige, ſiuè Indiculus Errorū

Philogrammatici cõtinctur.

nes vnà colligere; quin non ſinè aliquo nouorum additamento vnum in cumulum coaceruare : eritque coronis Operis, monſtroſa quidèm, ac mendis ſcatens, ſed ſua deformitate delectabilis, vtiliſque ſua ipſa fœditate. Lemma ſequens proferet iſta collectio, ERRATA CORRIGE; quale plerunque poſtrema pagella voluminum, typographi excuſandà incurià, nonnullis ferè ſemper labibus oblitorum, Legentibus exhibere ſolet; torcularium enim contorſiones, ac vertigines minimè ſunt Cælorum motus, qui præſide Intelligentià nullo errore perturbentur. Et verò vt alacriùs, & breuiùs id conficiatur, Latino ſermone vtemur, eas ipſas aſſertiones in medium afferentes, quas Italicè ſcripſit Anonymus; cuius à mente, & ſententia, quantùm id aſſequi noſtris viribus licuerit, ne latum quidèm vnguem diſcedemus, quamuis verborum forma, & idiomatis ſpecie ſimus ab eodem diſceſſuri. Neque tam obſcœnæ congeriei, Lector beneuole, in textura ordinem vllum attendas: vbi chaos expinguitur, abſtinet ab ordine vel Apellis penicillus.

ERRATA

ERRATA CORRIGE

SIVE

Anonymi Philo-grammatici Lapſuum

COMPENDIARIVS

INDEX.

ERRATA CORRIGE
SIVE
INDICVLVS

Errorum, Retractationum, & Repugnantiarum, queis alijs officit, sibi contradicens, & Veritati, Corrigiensis Philo-grammaticus

NIMIRVM

Petrus Maria Theseus, nunc temporis Saxolensis Didascalus, suis in Animaduersionibus, & Obseruationibus, in Maruertium scriptis; quarum labi maxima ex parte superiori in Diatriba luculentèr occurrimus.

A. L. significat Animaduersiones Latinas Anonymi Philo-grammatici: O. L. Obseruationes Italicas: §. Paragraphum: A. Articulum: p. paginam: l. lineam: A. M. Ad Maruertium: A. Lect. Ad Lectorem:

LAPSVS Corrigiensis Philo-grammatici	*Sic exponuntur, aut emendantur.*
LAPSVS I. *In falsitatis assertione.*	*I.*
A. Lect. p. 4. l. 3. I. O. Corrigiensis A-	*Superuacaneus tùm ab Roma uniuersa, tùm ab*

 noni-

nonimus Philo-grammaticus vſum commendat Æolici Digamma, quià vtilem.

ipſo Cæſare, eiuſdem Æolici Digamma Inſtitutore, indicatus eſt; ac propteреà ſui primo in ortu antiquatus, vt abuſus.

LAPSVS II

In ratione Chronotaxeos.

Ibidem l. 5. dicit talem vſum IAM fuiſſe abrogatum.

II.

Ferè ſtatìm fuit abolitus, viuente Claudio, vndè promanarat. Vis autèm phraſeos, ab Anonymo vſurpatæ, optimè valeret, licet centum ſolummodò ab hinc annis vſus huiuſmodi fuiſſet obliteratus.

LAPSVS III.

In definitione vocalis V quando ſit Conſonans, & diphthongi vis, atque naturæ.

O. I. §. I. p. 5. l. 5. & 7. Vocalis V in diphthongo *Au*, quam includit particula *Aut*, ma-

III.

Quin immò rectiſſimè ſonat vocalis V in particula Aut, *ſi ſonet, vti facit in dictione* Aurum, *quia*

le

lè pronũciaretur eo modo, quo ſonat in dictione *Aurum*: quià proſiliret, vt manat è dictione *Agaue*.

tàm hìc, quàm ibì ingreditur diphthongum rationis, ac generis eiuſdem. V autem in Agaue *eſt Conſonans, quià poſt ſe patitur vocalem I. cuius coanguſtatione mutatur eſſentialitèr, & Conſonantium redigitur in ordinem. Tandèm aliquandò diſcat Anonymus vocalis V metamorphoſes, ne in poſterum allucinetur.*

LAPSVS IV.

In diſtinctione Diphthongi à Monophthongo.

O. I. Prima §. II. p. 6. l. 1. Vocalem eandem V mutat ergò in Conſonãtem, qui Maruertianam ſequitur pronunciationem: ac propterea Diphthongon redigit ad Monophthongum.

IV.

Ibi non poteſt audiri Monophthongus, vbi ſonat duplex vocalis Igitùr V in Aut *cum nos enunciemus, ex Anonymi confeſſione, vt enunciari debet, ac ſolet V in* Aurum, *qua in dictione omnium omninò Scriptorum ſententià eſt littera diphthongalis, & vocalis naturam ſeruat, ſequitur,*

quòd Diphthongi natura integra permanente, non generetur Monophthōgus.

LAPSVS V.

In Contradictione, sibi ipsi obita.

A. L. p. 60. (producimus autem hic, & deinceps idem faciemus, Animaduersionum Anonymi impressionem secundam, hoc in libello à nobis habitam) l. 3. opinionis suæ ad robur maius adducit Calepinum: & p. 61. l. 17. eundem se se iactat parui pendere, vt merum rei alienæ Collectorem.

V.

Si Ambrosius Calepinus hac in quæstione nullius est pretij, cur suæ Causæ in patrocinatorem deligitur ab Anonymo? Si alicuius est momenti: cur ergò negligitur? Num & magni habetur, & simùl spernitur ab homine, qui secum pugnat, ac proptereà nequit vincere, quin vincatur?

LAPSVS VI.

In manifesta Assertionum repugnantia.

O. I. § V. A. 4. p. 11. l. 4. Data opinione Maruertij, sequitur, sinè alterius dissimulatio-

VI.

Enormis Chimæra, cuius capax vix est Africa! Quo glutine indiget ens, carens partibus? Dissimu-

ne

ne vocalis in Diphthongo fieri non posse conglutinationem. Ità Philo-grammaticus.

lata altera vocali, remaneret vnica in Diphthongo. Secum ne conglutinatur? Cachinno digna subtilitas; & acumen obtusum, egens cote!

LAPSVS VII.

In Assertione identica, & nihil significante.

O. I. §. III. p. 8. l. 1. & 2. Carmina Poetarum, quocunq; tandèm tumore grandescant, minimè dant, at accipiunt, eum spiritum pronunciationis, qui datur ipsis. Hęc est nitida Philo grammatici Propositio.

VII.

Risu temperet Cato ad hanc identicam Propositionem, quin & ænigmaticam! Spiritum pronunciationis, qui datur, & accipitur à carminibus, nùm dubitare quis potest, quòd ipsa minimè dent? Sed quid velit sibi Sphinx ista, declaret Oedipus: idem enim & de soluta Oratione quidni affirmetur?

LAPSVS VIII. & IX.

In dictorum retractatione, & Diphthongorum ignorantia.

VIII. & IX.

O. I. primâ §. II. p. 6. l. 4. Duas vocales Diphthongales duos docet iacere ſonos, vnam in ſyllabam religiosè conglutinatos, & conſpirantes. Docuerat anteà A. L. p. 58. l. 2. & 3. vocales eaſdē diphthōgales duplici ſono, & voce tali pacto præditas, quali (vt licet obſeruare p. 61. l. 1. & 2.) penès Etruſcos primæ duæ vocales in dictionibus *Aere*, & *Eolo*, præditæ dicuntur. Vt verò docet Ricciolius p. 36. & 37. non finè manifeſta Pergameni allucinatione, primæ duæ vocales in his vocibus duas conficiūt ſyllabas.

I. Igitùr Philo-grammaticus duo ſibi contradicentia manifeſtè affirmat: dum contendit à vocalibus diphthongalibus & vnam tantùm, & duas ſyllabas confici, atq; componi.

II. Se ignorare oſtendit vim Diphthongi, dum dictiones duas Etruſcas Aere, *&* Eolo *affert in medium. vt ſuam de Diphthongo ſententiam probet, diphthongo carentes.*

LAPSVS X.

In importuno Canum, Feliumque magiſterio.

A. L. p. 61. l. 4. & O. I. §. II. p. 6. l. 7. & 10.

X.

Vocis humanæ ſonos, vt benè, ac ritè confor-

Con-

Confert, ad rectam Diphthongorum pronunciationem, audire Canes, & Feles, suo in Bau, & Gnau non ineptos huiusce doctrinæ præceptores.

mentur, quis aucupetur à Brutis? Quàm ridicula hæc exemplaria, minimè iunioribus exhibenda! Quì duplex geminarum vocalium sonus in rabido, ac citato Canum Baubatu; vel in Gnau Felium, cuius in editione vocales ambæ longissimo vt plurimùm interuallo inuicèm segregantur, elucebit? O Præceptores, Anonymi cathedra dignissimos, & vice rudis, baculo donandos, aut fustè!

LAPSVS XI.

In superuacanea modali reali entitate, gratis admissa.

O. I. II. §. II. p. 6. l. 2. & 3. Duæ diphthongales vocales duos iaciunt sonos, entitate reali modali simùl nodatos,

XI.

Ad quid superflua procreatio huiusce realis modalis entitatis in sono, nimirùm qualitate, cuius partes successiuè iuxtà se positæ, & in capaci subiecto, nimirùm in aere, vel aqua exceptæ, satis superque se ipsis nectũtur?

LAP-

Apage: imagnaria in spatia concedat hic modus.

LAPSVS XII.

In duarũ Assertionum clara repugnantia.

A. L. p. 60. l. 22. Conglutinatio, mixtura, in vnum conspiratio, queis vocibus vnio significatur, duos partiales vocalium diphthongalium sonos simùl nectens, impropriè, & metaphoricè vsurpantur.

XII.

Si voces hæ sunt impropriæ, solùmque metaphoricæ, quo igitùr pacto membrana sua fictitia, & abusiua tegere possunt, & amplecti substantiam entitatis realis modalis; quam nupèr, ab ijsdem importatam, somniauit Anonymus? Cohæreat sibi quæsò, ne sit biceps, & Monstrum.

LAPSVS XIII.

In expositione rei, vel puero quinquenni notissima.

O. I. IV. §. p. 7. l. 10. Intelligere, vel percipere nullo se modo testatur, quì nos erudierint, vel docuerint

XIII.

Interrogo Anonymum: Nùm necessaria Præceptoris est præsentia, vt dogmata tradere, & ignorantem litteras, queat

homi-

homines, longo temporis interuallo à nostra ætate disiuncti.

excolere? Si se nescire id respondeat, nodum soluet puer; qui de hac re, & quęstione rogatus, exclamabit: Neutiquàm; nam libris, & scriptis nos docet Tullius, multorum sæculorum interiacente spatio nostro ab æuo segregatus. Ergò palma pusellulo concedatur, negetur Anonymo.

LAPSVS XIV.

Rursùm sibi contradicendo.

A. M. in Præf. O. I. p. 3. l. 13. Præ veritatis studio se se Vulgi contemptorem iactat: qua propositione nobis adesse Vulgum, in diphthongorum pronũciationis controuersia, testatur. Tum O. I. IV. §. II. p. 7. l. 6. asserit apertè nostram opinionem de Diphthongorũ recta enunciatione non solùm aduersari præcep-

XIV.

Hinc patet super Vulgi opinione non minùs varium se se ostendere Anonymum, quàm sit ipsum Vulgus, & Vulgi ingenium.

tis

tis Artis, & consuetudini Eruditorum omnium, verùm & rationi prolationis, penès Vulgum cultiorum Italiæ oppidorum, prouinciarumque, vsitatę. Idem repetit in O. I. §. VI. p. 13. l. 15.: idemque in A. L. p. 57. l. 19. vbi nostram sententiam *contrà communem vsum* esse definit.

LAPSVS XV.

Alia in repugnantia.

† A. L. p. 59. l. 15. Ijs ab Auctoribus minimè dissentire dicit R. P. Io: Baptistam Ricciolium, qui suæ sententiæ velificant. Igitùr nobis cōtrarium eundem opinatur. Rursùs in O. I. §. V. p. 8. l. 6. & 7. recentioribus ex Scriptoribus nullum, dempto P. Ricciolio, scit numerare, aut nominare, qui nostras partes se-

XV.

Dicendum ergò est, vel nobiscum conuenire Philogrammaticum: vel eundem sibi vni repugnare: vel P. Ricciolium duabus partibus, inuicèm discordātibus, æqualitèr inhærere, idem affirmando, & negando. Primum quis audeat probare, cum actu dependente quæstione strenuè disceptemus? Postremum qui reputaret, esset mente captus, & able-

qua-

quatur. Igitùr viceuersa hic sibi contrarium, propitium nobis euulgat Ricciolium.

gandus ad Arcades. Ergò secundum veritati est consentaneum.

LAPSVS XVI.

In excutienda re malè, vsu ab ipso manifestè probata.

O. I. §. V. p. 8. l. 3. Minùs laudanda sententia, quæ antiquas librorum impressiones, aliquo de nomine, recentiori posthabeat.

XVI.

Ecquis, data sibi optione, Atlantis Noui eruditum pondus, postremis in impresionibus ingeniosè gemmatum, & amplificatum: nempè Vniuersalē Geographiam, pulcherrimis additionibus auctam, antiquæ posthabeat editioni? Id verò dilucidiùs patet in Collectoribus: nàm postremæ Operum, quæ hi confecerunt, impressiones, sunt semper locupletiores, ac propterea pluris habendæ: facilè .n. accessiones nouæ fiunt incœptis.

LAPSVS XVII.

XVII.

In re

In re Chronologica, minùs exactè tractata.

A. L. p. 61. l. 2. & 3. Chronotaxis in tractatione gloriolā captaturus Philo-grammaticus, Latinitatis corruptelā, vi Barbarorum obitam annis ab hinc ampliùs octingentis: & in O. I. II. §. V. p. l. 5. millenis, contigisse autumat.

In Italiam irrupere Barbari A. C. CCCC IV. Igitùr. vt exactè loqueretur, scribere debuerat: Annis ab hinc ampliùs mille, ac ducentis. Lapsi enim sunt, ex quo tantæ cladis ductum principium, mille, ducenti, & sexaginta tres anni.

LAPSVS XVIII. & XIX.

XVIII. & XIX.

In Chronotaxi, & vi probæ pronūciationis.

O. I. II. §. V. p. 9. l. 12. Gothorum, Vandalorūque colluuione oppressa Italia, circà tempora Theodosij, oppressa est & Latinitas, nec non diphthōgorum recta pronunciatio. Primum enim vocalis I. abijt in E. ità vt ex *Terrai*, fieret *Terræ*.

I. Talis desinentia non est vocāda corruptela diphthongi, sed reparatio, & elegantia, dum florerēt Latinitatis optimæ Legislatores, adhibita.

II. Minimè circà tempora Theodosij, nimirùm sub initia sæculi IV. Christiani; sed antè natales Tullij facta erat hæc mutatio desinentiæ; ita vt ean-

LAP-

dem Maro vsurpauerit, & exsuscitarit, vt rei antiquæ eruditam oleret nouitatem. Quamobrèm quinque, vel sex seculorum accessionem falsò fecit vero calculo Chronotaxeos Anonymus.

LAPSVS XX.

In essentia Diphthongi.

Ad essentiã Diphthõgi sufficit nobis in præsentiarum eidem tribuere duas litteras in scriptione, & duo tempora metrica in pronũciatione.

XX.

Igitùr quæcunque syllaba longa constet duabus litteris, erit dicenda diphthongus. In ordinem quæsò redigatur tanta laxitas Opinionis!

LAPSVS XXI.

In constituenda vi vocalis V.

A. L. p. 62. l. 15. & O. I. p. 14 l. 15 & 19. Vocalis V in aduerbio *Vtinàm* differt numero solùm ab vocali V, quę sonat in particula *Aut.* Iterùm autem A. I. loco

XXI.

Sonus vocalis V in aduerbio Vtinam *apertus est, & clarus: in particula* Aut *coangustatus, & obtusus, immò & imminutus. Quomodò igitùr solùm numero dissident? D:f-*

nuper

nupèr citato l. 18. & O. I. II. §. II. p. 6. l. 9. coangustari, comprimi, necnon imminui sonos vocalium in diphthongo, asserit.

fert quidèm Vtinàm *ab* Vbi *tantùm numericè, quià sonus vocalis V vtrobìque par est, & sola in singulis diuersificatur eiusdem vbicatio: at vbi notabilitèr diuersus sonus est, in quo est sita essentia litterarum, nequit admitti solũ numericum discrimen sinè mendo, & erroris notà.*

LAPSVS XXII. & XXIII.

In importuna laude, & cum æquiuocatione coniuncta.

O. I. II. §. V. p. 9. l. 15. Beda, Phœnix eruditus in theatro suæ ætatis, Posteritati magnũ fecit spectaculum: at in diphthongorum scriptione, atque pronunciatione, Maruertiani erroris labe fuit infectus.

XXII. & XXIII.

I. Quàm importuna commendatio ista, quæ laudatum expingit errantem? Verè: Desinit in piscem mulier formosa supernè!

II. Caueat Anonymus, ne iudicet Bedam vnicum ætatis suæ Sapientem, dum prædicat Phœnicem: mul-

LAP-

LAPSVS XXIV. & XXV.

In repugnantia, & identica propositione.

Ibidem p. 10. l. 19. & 21. postquàm exprobrauit nobis opinionẽ Vossianam, qua eodem vitio, quo Beda, in diphthongorũ quæstione laborare nos probatur: nostrum ad nomen stylum conuertit, affirmans, nos futuros omninò Venerabili Doctori conformes, si quidẽ Diphthongorum praua in scriptione, & enunciatione eũdẽ imitemur.

tos enim obtinuit coæuos, eruditione, & litterarum cultura celebres.

XXIV. & XXV.

I. Peto ab Anonymo: Quomodò absolutè, & exercitè eadem labe, qua Beda, scatemus, si omninò est arbitrij nostri eiusdem vitiosum hac in re exemplar imitari, vel non? Reduplicatiuè qui aliquid exequitur, non eget paranesi, ad hoc vt faciat, quod iam facit.

II. Quàm ridicula conditio hæc est, & identica: Si fueris imitatus Bedam in diphthongorum scriptione, ac prolatione, absque dubio Bedæ audies imitator! O farturas nugarum, non ambitus verborum!

LAPSVS XXVI.

In Chronotaxi.

Ibidem p. 9. ad l. 16. in margine: Beda floruit A. C. DCC.

XXVI.

Natus Beda A. C. DCLXXI. Obijt DCCLXXVI. ad hoc igitùr, vt is temporis articulus notetur, in quo verè famæ floruit pretio, non ætatis vigore, dicendus floruisse sæculo octauo, vel A. C. circitèr DCCL. vel DCCLV.

LAPSVS XXVII. & XXVIII.

Iterùm in Chronotaxi.

O. I. Primâ §. V. p. 8. l. 10. Emmanuel Aluarez florebat A. C. MDLX. Iterùm O. I. IV. §. II. p. 7. l. 8. Emmanuel, vnà cùm aliquot alijs Scriptoribus, quos omittimus, longo annorum interuallo pręcessit Patrum nostrorũ natales.

XXVII. & XXVIII.

I. Addat Philo-grammaticus Emmanuelis ætati, ab ipso editæ, decem annos, aut quindecim, vt rectè supputet, & calculos obeat.

II. Perijt Aluarez A. C. MDLXXXII. Mihi profectò non suppetit oculus, quo ingens interuallum assequar intèr huius decessum, & nostrorum Pa-

LAP-

trum natalia intercedens. Tubum opticum emendicabimus igitùr à Galilæo.

LAPSVS XXIX.

In manifesta Contradictione.

Ibidem p. 9. l. 13. Pronunciationem nostram vt pungat, quià corruptam, non solùm Bedanæ sociam fingit Anonymus; sed etiàm prædicari à nobis affirmat, quasi nitidè curatam à Viris argutioris, & delicatioris auditus, licet mendosam.

XXIX.

Bedana pronunciatio duas vt plurimùm in syllabas, ne dum geminos in sonos, necessariò diphthongon diuisit, vt videre est in scissione particulæ Aut, hoc modo facta, A ut. Sæpè Philo-grammaticus obijcit nobis, quòd vnum in sonum, ne dum vnam in syllabam, duas diphthongi vocales arctemus: quomodò igitùr sibi cohæret, affirmando, nos venditare, & commendare Bedæ prauam pronunciationem, quasi ab optimæ notæ viris acceptam, & vsurpatam?

LAPSVS XXX. & XXXI.

XXX. & XXXI.

In duplici Assertionum repugnantia.

Ibidèm p. 10. l. 23. Rursùm Bedæ si adhæreamus, vim magnam spondet nobis Sectatorum, tùm ipsius Bedæ coæuorum, tùm venturarum ætatum longæ successioni iunctorum. Deinde in O. I. A. M. obijcit nobis p. 3 l. 1. & 2. quòd nostra pronunciatio communi omniū Gentium vsui aduersetur: idemque repetit in A.L.p.57.iterūque in O. I. IV. §.II. p.7.l.6. id demōstrat, nostro auertens ab errore nō solùm Eruditos, sed etiàm plebeios homines. Denuò tamèn his non obstātibus A. M. p.3. l.13. se se iactat, plebeiorum hominum aspernari suffragia, absque dubio, tali declaratione, nobis ab ipso reputata propitia. Idque confirmare videtur in O. I. II. §. V. p. 10. l. 27.

Hoc triplici nodo, duplicem dictorum retractationem, ac repugnantiam includente, quì se soluet, corio suo illaqueatus Philo-grammaticus? Purificata est conditio, ab eodem nobis proposita: nam actu, & practicè cum Vossio, in praua Diphthongorum pronunciatione, nos Bedæ socios adhibet. Igitùr ipsius ex confessione plurimos habemus assectas, qui respectu Bedæ sint vocandi Posteri. Sed & omnes Eruditi, & vulgares homines à nobis abhorrēt; vt rursùm affirmat Anonymus. Igitùr nullos habemus asseclas. Sed iterū Vulgus ab ipso spernitur, sanè vt nobis concinens, & propitium. Igitùr iterùm nostris partibus studet, licet iterùm nescio quo philtro à nobis auulsum. Quis hæc elementa, mutuò contraria, simùl

LAP-

conciliet, & vnum redigat in corpus, enimuerò Chimæricum?

LAPSVS XXXII.

In vi, ac vsu scriptionis.

O. I. III. §. V. p. 11. l. 9. Ex Quintiliani verbis elicit, *Efferendum quidque, quomodò scribitur.*

XXXII.

Id obstat Linguarum ferè omnium consuetudini, qua fit, vt aliquid minimè pronūcietur, quod scribitur, maximè in Græca, & Gallica. In Latina, quandò scribebatur Aggelus, certè Angelum pronunciabant: & vice litterarum PH. sola F. exauditur, & sonat.

LAPSVS XXXIII.

In Diphthongorum vana iactura, gratis affirmata.

O. I. §. VI. p. 13. l. 8. & 9. Omnes Diphthongi, tùm Græcæ, tùm Latinę, deperditę, præter eas, quæ sonant

XXXIII.

Potuit fortasse iactura fieri eius delicatæ rationis, nobis ignotæ, qua antiquitùs pronunciabantur diphthongi: sed nullarum es-

in particulis *Aut*, *Ceu*, & similibus.

sentia, in Au, & Eu desinentium, potuit deperdi, cum nullius vocalis in his supprimatur sonus, sicùt accidit in diphthōgis AE, OE, & EI. A' quo igitùr Auctore hanc iacturam hausit Anonymus, aut quo Aganippes ex fonte expiscatus est, fabulis frequenti?

LAPSVS XXXIV.

In mala dictionum vsurpatione.

A. L. p. 60. l. 15. Idē sonare iudicat *Mixturā*, & *Conglutinationem*, ac *Confusionem*.

XXXIV.

Ergò confundit Elementa in mistis, quæ Natura conglutinat. Ergò Mater erit Confusionis, quæ diciturOrdinis Architecta.

LAPSVS XXXV.

In manifesta Contradictione.

O. I. §. IX. p. 16. l. v. Obstupescit, quarè doceamus, in diphthongis neutiquàm vocales in

XXXV.

Quot hìc repugnantiæ! Numeret eas, qui næuos in luce potuit numerare: verùm vt macu-

mutuò segregandas v. g. A ab V in *Aut*: interimque ipse contendit, in hac particula vocalē V sonare vt in aduerbio *Vtinàm*; & vt vocalem A in dictione Etrusca *Aere*. Iterùm A. L. p. 61. l. 12. Diphthongum appellat *mediam viam* intèr dissyllabum, & monophthongon: cum ibidèm, vt aliàs dictum est, pag. 60. velit ambas diphthongi vocales imitari sonos vocalium in *voce Italica Eolo*, vbi fiunt ambæ dissyllabæ.

las & exsibilet.

LAPSVS XXXVI.

In distinctione Orationis solutę ab vincta.

A. L. p. 61. l. 16. Nūquam *nobis venit in mētem* discrimen vllum orationem intèr solutam numeris, & vinctam.

XXXVI.

Studeat vtrique maturè, & multa discrimina nanciscetur. Docet ergò, antequàm discat?

LAPSVS XXXVII. XXXVIII. & XXXIX.

In triplici absurda similitudine, cum apertis repugnantijs iuncta.

A. L. p. 62. l. 22. & 23. & O. I. §. VII. p. 14. l. 27. Vocalis V in diphthongo similis est homini pingui; vel libro compresso in torculari; vel demùm Hectori, ferenti exuuias Achillis: extrà Diphthōgon autèm æquiparanda homini gracili; vel libro in forulis bibliothecæ collocato, se seque aliquantulùm laxāte, & amplificante; nec non Hectori, sua veste obnupto. In A. L. p. 60. l. 24. vim suam retinere dicit vocales in Diphthongo, & solùm numericè diffidere ab ijs, quę sunt extrà diphthongon; vti nitidiùs licet obseruare in O. I.

XXXVII. XXXVIII. & XXXIX.

Secunda Similitudo manifestè aduersatur Primæ: homo .n. pinguis quomodò comparandus libro coangustato, & compresso intrà carceres torcularis? Prima obstat rei veritati: nam vocalis V, in Diphthongo, habet sonum partialem: ergò gracilescit, haud pinguescit, in Diphthongo. Præthereà sententia est Anonymi, vti demonstratum est, vocales in Diphthongo coangustari, comprimi, & sono minui. Ergò vocales in Diphthongo *sunt dicendæ graciles, non verò obesæ. Demùm vocalis V in* Vtinām *par est vocali V in* Aut. *Hìc diphthongalis est, ibì immunis à diphthongo. Igitùr æquè pin-*

§. VIII.

§. VII. p. 14. l. 15.

guis dicenda in Diphthongo, ac extrà diphthongon. Tertia validè repugnat veritatis luci: cur enim vocales sunt personatæ, & alienis exuuijs tectæ, diphthongum conficientes; cum sententia sit Anonymi, vim suam natiuam in diphthongo retinere, & seruare?

LAPSVS XL.

In falsà Assertione, quâ factis accusat.

A. M. p. 3. l. 23. asserit, suas Commentationes textui nostro religiosè inhæsuras. O. I. IV. §. V. l. 4. p. 11. & O. I. II. §. VII. p. 15. l. 1. scribit, nos docere, quòd altera ex vocalibus, diphthongon conficientibus, sit dissimulanda, ac supprimēda, vt fiat conspiratio, ad essentiam diphthongi necessaria. Iterùm O. I. II. §. II. p. 6. l. 1. &

X L.

An verum sit, quòd Anonymus nostræ menti fideliter hæreat, nostris in Thesibus inani suarū Commentationum apparatu exponendis, ex allato hic vngue iudicet Lector.

5. exponens nostram sententiam de sono misto vocalium diphthongalium, ex ambabus promanantem, & conspirantem in vnum, manifestè supponit, à nobis duas admitti in diphthongo, licet alteram ex his superiùs affirmarit expunctam.

XLI.

LAPSVS XLI.

Dicta dictis, an factis? euertendo.

Et Amoris fauilla facilè extinguitur; atque vix genita, nouercali halitu, sæpissimè suffocatur. Philo-grammaticus Rabula A. M. p. 3. O. I. l. 28. suæ mentis beneuolentiam ergà nos abundè iactat, & affectata quadam pompa mutuæ charitatis effundit. Verùm vel sui ipsius oblitus, nempè tenoris animi sui; vel insperata è pristino cor-

Amoris vera probatio è lingua pendet, & manu: his enim, velut aureis clauibus, aperitur animus, & intùs latentis hospitis tenor candidè explicatur. Qui ergò mendacij labe se se purgabit Anonymus, dùm amicum quem vulgat, ferit probris, & contumelijs, vt hostem: & subdolè blandiendo, illiberalitèr aspernatur. Hinc sibimet imputet, si fortè durinsculè à nobis accipi-

dis

dis statu deturbatus pœnitentia, stylum beneuolum mox in hostilem pugionem vertit: & O. I. §. VI. p. 23. l. 15. audactèr nostræ pronunciationis formam pungit, ac vulnerat, vt meram Linguæ Latinæ infectionem, rudisque, & subrustici homūcionis locutioni aut parem, aut affinem, hisce verbis, liuidi Brontis ex incude tractis: *Queste* (id est particulæ AVT, HAVD, HEVS &c.) *in bocca di qualunque non sia Ne ZOTICO, Ne INFETTO DELLA VOSTRA PRONVNTIA, vengono quì tanto esattamente &c. pronuntiate, quanto dagli Eruditi &c.* Ehem! Quàm deformes abortus barbari Amoris, duri roboris inquilini! Hūc sanè crassa oscitantia, & inscitia lactarunt, vt idem Philo-grāmaticus syncerè nobis aperit, hac confessio-

tur: debuit enim ferro, non oleo, curari tanta lues. Quòd autem rusticitatem nullam suboleat nostra pronunciatio, nec vllo vitio inquinetur, intelliget luculentèr, qui Grammatica in re Principum eorum nomina menti retinuerit, Prima Diatribæ in Parte congesta, qui eandem exequuntur, nostræque sententiæ pondus, ac veritatem splendidè sustinent.

fessio-

fessione: *E se vi trouaste cosa, che vi potesse aggrauare (il che non credo) ascriuetela ò ad INAUUERTENZA, ò ad IGNORANZA.*

LAPSVS XLII.

Posterioribus sensis priora impugnando.

Ibid. A. M. l. 21. Antè pugnam triumphū ridiculè celebrans, verè histrionicum, atque scurrilem, affirmare nō dubitat Doctor Anonymus, in hac Diphthōgorum quæstione, & disceptatiuncula, Veritatis momenta eius in staterà, prò ipso, contrà nos liberalitèr præponderare. Tùm O. I. A. Lect. p. 18. l. 26. vltrò Censores omnes in se prouocat, hac vsus illustri clausula: *Troppo pazzo sarei, se mi aggrauassi di chi, potendo, volesse illuminare la cecità*

XLII.

Quęnam lucis, cum abysso tenebricosa, fœderatio? Quæ societas VERITATIS cùm cæcitate? Qui locus huius proditioni, cum eiusdem syncera, & legitima possessione? Philogrammaticus sua in LIBRA statarium iactat Solem VERITATIS: at deindè luminis indigam, atque exoculatam sibi mentem inesse fateri non erubescit? Propositiones istæ Andabatarum certamina renouant; nam cæcorum more inuicèm pugnant, ac digladiantur!

della

della mia mente: troppo scelerato, se per qualsiuoglia prezzo d' aura popolare tradissi la VERITA'. Quæ Penelope ardentiùs texta detexuit?

LAPSVS XLIII.

E' sepulchro imaginario ad vitam diphthongos exsuscitando, arbitrariè peremptas.

O. I. A. IV. §. II. p. 7. l. 4: Vafræ commendationi R. P. Riccioli stylum dedicans Philogrammaticus, tanto ab homine nos potuisse edoceri testatur rectam diphthongi enunciationem in particula AVT: *& insieme* (verba ipsius hic produco) *con lui tutte l' altre parole, oue siano questi dittongi*. Posteà in O. I. §. VI. p. 13. l. 9. asserit, exceptà particulà AVT, cùm

XLIII.

Si R. P. Ricciolius rectam nos edocere potest Diphthongorum pronũciationem, tùm in particulà AVT vnà cùm paucis similibus, tùm cæteris omnibus in vocabulis, atque dictionibus, in quibus vocalium coitione conficiantur Diphthongi, ergò hæ non sunt extinctæ? Vel si sunt extinctæ, qua vi magicà per te reuiuiscunt? Ne quæsò in sepulcbra compellas ea litterariæ Reip. membra, quæ nondùm

pau-

paucis similibus, cunctis ferè in dictionibus Diphthongos, nunc tēporis, extinctas.

exanimata sunt, aut deperdita. Si enim corrupta iacent vel Barbarorum, vel Librariorum clade, & incuria; ea & voce, & calamo reparabit alacritèr Latinitatis ad decus, & commoda Italiæ, P. Rictiolius, qui iuxtà tui testimonium, exequi id potest, & procùl dubio exequetur, cum suæ Mineruæ sapientissimæ thesauros publico bono deuouerit.

LAPSVS XLIV. & XLV.

Supèr vi coglutinationis, qua vocales diphthongales simùl iunguntur: & earundem vi, ac ratione.

XLIV, & XLV.

O. I. A. III. §. II. p. 7. l. 3. & 4. Cuiuscunque legitimæ Diphthōgi vis, & facultas vt subsistat, *Dourà* (verba sunt Anonymi) *godere la PERFETTA CON-*

I. Entis perfecti ratio essentialis est veritas, qua caret obiectum, merè abusiuum, & metaphoricum. Quamobrèm formalitèr implicat, quòd CONGLVTINATIO, nectens

GLV-

GLVTINATIONE delle due vocali, ESPRESSE ALMENO IN PARTE. & secùs si fiat, *Dourà rinũtiare alla qualità dittongale.* Primò interrogamus: Quænam erit hæc PERFECTA CONGLVTINATIO, quæ necessariò intercedere debet intèr vocales, vt Compositũ Diphthongi conficiãt? Nùm illa, quam Latinis in Animaduersionibus, vt sępenumerò demonstratum est, vocauit IMPROPRIAM, ABVSIVAM, & METAPHORICAM? Secundò: Quid ais, Anonyme, SOLVM EX PARTE debere pronũciari vocales ambas, ad diphthongi texturã, simùl iunctas? Meminneris, te dixisse aliàs, & frequentèr id obiecimus, quamlibet diphthongi vocalem (non enim maior est ratio de vna, aut altera, ac de *vocales, Diphthongon componentes, sit PERFECTA, vti præcipit Anonymus, & sit impropria, necnon allegorica: solam inuoluens litterarum contiguitatem, non importans misturam. II. Vti sæpè monuimus, vocalis V in* VTINAM *penès Latinos, & in* Eolo *apud Tuscos, ore aperto, & exporrecto sono enunciandа est, vtpotè syllabam integram, solidamq; vtrobique conformans, & nullò pacto à littera, iuxtà sequenti, pendens. Qui ergò eiusdem erit rationis, cuius sunt vocales diphthongales, quarum sonus iuxta mentem, & confessionẽ Anonymi, ex parte solùm auditur, & loquentis ex ore mutilatus emergit? Concedat Deus Optimus Maximus homini, tanta vertigine laboranti, mentis stabilitatem, & in doctrinæ traditione constantiam!*

reli-

reliquis) eiusdem rationis esse, cuius est vocalis V in aduerbio *Vtinam* penès Latinos, & vocalis E in *Eolo* penès Etruscos. Nùm istæ duæ vocales ex parte solùm enunciantur? Oedipe nodos solue, quos instàr Sphingis nexuisti!

LAPSVS XLVI.

In reiterata eiusdem tenoris repugnãtia.

O. I. §. IX. p. 16. l. 18. *Nunquàm* (hac ipsa vi vtitur Philo-grãmaticus) *somniauimus*, *quòd intèr diphthongales Vocales sit admittenda separatio: licet intèr ambas intercedat distinctio.*

XLVI.

Si abest separatio vocales intèr, Diphthongon ingredientes, quomodo ergò, vt nupèr narrabamus, CONGLVTINATIO, qua simùl iunguntur, vel iuxtà per te collocantur, est solummodò metaphorica? Audi, sic argumentamur: Duo abusiuè tantùm simùl iuncti, sunt realitèr disiuncti: Sed per te Vocales Diphthongales solùm abusiuè simùl sociantur, & copulantur: Ergò realiter mutuò

mutuò disiunguntur. Ergò inuicem separantur. Quid ergò, nulla adhibita locutionis restrictione, te abhorrere iactas à separatione litterarum, quas verè dissocias, & solùm iuxtà ponis? Præterea in O. I. §. VII. p. 18. l. 28. & 25. doces, eius vi Conglutinationis, qua simùl nodantur vocales in Diphthongo, differre à se ipsis, extrà Diphthongon constitutis, SECVNDVM MAGIS, AC MINVS. *Peto: Unio perfecta, quæ duo, inuicèm discreta, & diuersa, in vnum copulat, nonne facit, vt singula notabilitèr distent à seipsis, tali nexu solutis; dùm efficit, vt vni ex ijs natura communicetur alterius, iuxtà consuetudinem, & vim perfecti vinculi, quod duas partes, anteà diuisas, simùl arctè componit? Peto vlterius: Nonnè A v.g. essentialiter differt ab V; singulæ enim hæ litteræ diuersam confi-*

ciunt classem, speciemq; vocalium, ac propterea notabilitèr inuicèm singulæ dissident. Ergo si ambas intèr, Diphthongum conficientes, perfecta Conglutinatio intercedit, & ab ijsdem abest separatio, vt affirmas, huius vi fiet, vt A v.g. in AVT sit particeps soni, & naturæ V, à qua prius specificè discriminabatur; atque consequentèr à se ipsa substantialiter, quandò Diphthongon efformat, dissidere dicendum sit, constitutá extrà Diphthongon. Quomodò igitur vocales diphthongales tantùm secundùm magis, ac minùs different à seipsis, positis extrà Diphthongum? Si color hic esset, audiendo tot absurda, dicerem procùl dubio, ipsius Iudicem sedere Cæcum.

LAPSVS XLVII.

Manifestè sibi contradicendo super eade

XLVII.

diph-

Diphthongorum, & excidio.

O. I. A. III. §. II. p. 7. l. 7. assertum est Doctoris Anonymi, destrui vim, naturamque Diphthongi, si deperdatur, vt superiùs narratum est, ea vocales intèr, ipsam constantes, Conglutinatio, ratione cuius saltèm ex parte ambæ sonant. Iterùm verò in O. I. A. II. §. V. p. 10. l. 24. & iuxtà sequentibus, tres hasce Propositiones exponit nobis. I. *Non pensasse però quì alcuno, che noi hauessimo humore di rimmettere nello stato dittongale l'AE, & OE: perche conoscendo esseruisi fatto, e troppo indurato il callo, ed il soprosso, di questa cura lasciamo il pẽsiere, & honore a' Medici d'altra peritia.* II. *Meno poi habbiamo pretensione, d' incontrar la pronuntia de' buoni secoli: per-*

I. Essentia Diphthongi sita est in enunciabili sono vocalium, eam componentium. Ità Philo-grammaticus, cuius propterea Conclusionem hanc esse diximus saltèm æquiualentèr: Perit essentia Diphthongi, si altera ex vocalibus, ipsam conficientibus, supprimatur, & sono careat: Igitùr hinc deduco: Deperdita recta forma enunciationis, qua Priscorum ex ore prolabebantur ambæ vocales, componẽtes Diphthongon Æ, vel OE, & extincta erit harum Diphthongorum substantia, Quarè ergò noster Logodædalus, non contentus Prima Propositione, in qua iacturam essentialem Diphthongorum prædictarum Æ, & OE lamentatur, addit Secundam; qua irreparabilitèr periisse dicit optimam formam pronunciationis, qua penès Anti-

 ti-

che stimiamo questo vn Laterem lauare, & Coruos luto insectari. III. *Solo pretendiamo seguir la buona consuetudine*; & non secùs ac imbres, & malas tempestates, *tollerar gli abusi irremediabili*. Quot vermes, Deus immortalis! epulantur in hac nuce! In hoc triuio quot serpunt ambages! Quot discordantiæ gliscunt in hac trimembri periodo Corrigiensis Anonymi; qui, vt Planetas imitetur, sese gaudere ostentat erroribus!

tiquos suauissimè insonabant? Nonnè obiectum huiusce posterioris querelæ coincidit cum priore? Si enim essentia Diphthongi sita est in sono, & recta soni forma, quæ neutram ex Vocalibus, eam conficientibus, subticeat; erò sequitur, deperditâ hac rectâ ratione, & conformatione soni, etiam amissam substantiam Diphthongi. Cur igitùr affirmat, neque pristinum in statum reuocari posse recentiorum Ætatum corrupto in cursu Diphthongos Æ, & OE; neque optimorum sæculòrum rectàm pronunciationem restaurari; cum in idem penitùs redigatur & iactura huius, & illorum interitus? II. Quarè docet, earundem Diphthongorum vocales ambas, iuxtà Priscorum morem, à loquente proferendas; si quidèm fieri non potest, vt antiquam, eamq; optimam formam pronunciationis assequamur? Nonne optimam

mam rationem se demonstrare iudicat, qua hę Diphthongi enuncientur? Si negat. Cur docet, quod abhorret à veritate, & à rectitudine Latinæ locutionis? Si affirmat: Ergò hanc optimam formam non extimat ab interitu irreuocabilem. Tertiæ Propositionis medullam vix nobis datur attingere. Dicit hìc Anonymus sibi vnicè propositam probæ consuetudinis obseruantiam. Ergò, subinferimus nos, optimam formam antiquæ pronunciationis, quæ absoleuit, & periјt, exsuscitare, & redintegrare, neruis omnibus ille contedit. Probatur illatio: Optima sequi, est probatæ inhærere consuetudini: & inhærere prauæ, est sequi pessima. Igitùr laudabili si Consuetudini se se ille illigare desiderat, optimam Antiquæ pronunciationis formam ad praxim vt reuocetur, debet adniti. Cur ergo, se se ab hac

reuocanda abstinere profitetur? Respondebit fortassè Philo-grammaticus: Probæ Consuetudinis nomine ab se intelligi membrum alterum eiusdem Propositionis Tertiæ: nimirùm tolerantiam Abusus, qui medelæ non est patiens. Verùntamèn contrà est primò: Nota coniunctionis E T, *quæ portionis subsequentis, parti præcedenti, vim nectit, etiàm tenorem ità afficit, vt huiusmodi sensum Anonymi valdè inobscuret; quamobrèm debuisset hunc in modum, omisso tali nodo, scribere:* Optimæ volumus hęrere Consuetudini, quę est, abusus tolerare ineuitabiles; vel, mentem, ac vota nostra laudandæ Consuetudini adiungimus, ac propterea abusus, queis obuiare, atque obstrare non licet, omninò dissimulabimus, aut æqua fronte patiemur. *Secundò: Scimus Philo-grammaticum,*

idque

Idque suprà demonstratum est, super rectà Diphthongorum pronunciatione se se Veritatis apicem attigisse, opinari. Scimus, aperto ore ipsum dictitare: Nostrorum temporum enunciationem ab ea rectitudine dissidere, qua pollebat antiqua, circà Diphthongos easdem. Scimus, puerorum in auriculas, quos primis Grammatices in rudimentis laboriosè mercenarius dedolat, & exercet, sæpè ab ipso insinuatum: Cuiuscunque Diphthongi geminas vocales sono suo donandas; & latrociniy, an parricidiy esse genus, alteram ex ijs extinguere, & voce priuare. Hinc ergò habemus, ab Philo grammatico teneri modum, quo possit hic error communis euerti, aboleri, antiquari. Falsissimè igitùr vocat indelebilem, nulli remedio obnoxium, irreuocabilem. Probatur postrema illatio, necnon immediatè præcedens,

dens, quæ huic arcto vinculo copulatur: Fieri nulla ratione potest, vt Doctor aliquis, in re litterarià saltèm mediocritèr versatus, supèr disceptatione solemni, adhùc pendente, indubitantèr dicat: se scintimam rei medullam altè intelligere, momenta omnia complecti, assequi veritatem: Contrariam partem sugillet audactèr, vt illusam, & rectò ex tramite aberrantem: de eadem strenuas dissertationes instituat, tradat documenta, glossas, Canonesque conficiat, quin vniuersam agitatæ quæstionis summam mente comprehendat, ac propterea eandem prauè cognoscentes, & exorbitantes à vero circà ipsius vim, & naturam, nequeat erudire. Sed loculuteius Anonymus vniuersas has dotes obtinet super ratione, & facultate diphthongali, vti probatum est satis fusè: Ergò minùs veridicè affirmat

mat

mat; repugnare, quòd ea ab interitu reparetur; Ergò ad heroicum id opus, ad decus hoc ingens, cæteris, interdictum; ad tam grande miraculum perpetrandum, vniuerso orbi gratissimum, se se alacritèr accingat vir cultæ limę, & farinę delectioris, vt ab exedris Saxoli litterata in saxa concedat, Gloriæ perennaturus.

LAPSVS XLVIII.

In statuendo Physicæ obiecto.

O. I. §. VI. p. 12. l. 20. Auspice spuria Physica nos philosophari iactat, circà repugnantiam formalem: qua affirmamus, fieri non posse, vt vocalis V. fiat Cõsonans, nisi illam excipiat alia vocalis; quandò tamen contendamus, huiusmodi repugnantiam absolutam esse, atque inuiolabilem.

XLVIII.

Vbi corpus naturale, quod habeat prò obiecto Physica, huc obtorto collo, ac intempestiuè ab Philogrammatico accersita? Repugnantias formales ergò hæc ponderat? Obrepat ad Lycæum Metaphysices, vt necessariam ad id trutinam assequatur, Doctor allucinatus.

LA-

LAPSVS XLIX.

In re metrica, prauè definita.

O. I. §. VII. p. 14. l. 20. & 21. Æqualis temporis prosodiaci sunt vocalis V in aduerbio *Vtinam*, & Vocalis V in particula *Aut*. Ità Philo-grammaticus.

XLIX.

Ergò, cum vocalis V. longetur in particula Aut, *producetur & in aduerbio* Vtinàm, *si valet opinio Philo-grammatici. Vapularet sanè discipulus à Prisciano, si tam malè claudicaret in Lexiphonià, Quis .n. vix prima Prosodiæ farina respersus puer ignorat, è contrario vocalem V. produci in* Aut, *corripi in* Vtinam; *ac propterea ambas quoad metricum tempus, notabilitèr mutuò dissidere?*

LAPSVS L.

In absurda Censura, atque imprudentèr obita.

Demùm O. I. §. IX. p. 17. l. 11. suffraggium, ac testimonium R. P. Gamberti, nostram de-

L.

Diatribæ huius vniuersæ longus ambitus ea includit Argumenta. quorum ductu, & luce, prudentis-

recta

recta Diphthongorum pronunciatione sententiã probans, vti fecerat suo R. P. Io: Baptista Ricciolius, reprobat, abijcitque; ac si dissideat ex albo Veritatis eò interuallo, quo à luce exulant vmbræ. Tenebrio Censor, ad trabē Marsyæ ablegande, dum canina lingua tantùm audes, ac ventoso calamo tàm acerbè canis!

simè quæstionis huius omni momento discusso, R. P. Dominicus Gambertus Corrigiensis Philo-grammatici, (quem diù cordm audiuit, & ad sana consilia reuocare vi rationum frustrà conatus est) opinionem damnauit, vt vanam, & nuli antiquo Scriptori probatam: nostramque commendauit, vt Auctorum omnium, ac præcipuè in re Grammatica Legislatorum, sensui conformem, atq; Veritati vnicè consentaneam. Quarè non est cur prolixiùs hic perstringatur Anonymi liuor, exibiletur mentis vertigo, & cæcitas amplificetur; quoniàm cæteroqui satis, tot inter Lapsus, Medico egere, fulcro, & lucerna, se probat.

ET eccè quo vlcerum marcore scatere caput nostra docet Anatome, cuius tumido in cerebro Sapientiæ numeros omnes inclusos credulus puer pronà mente reputasset! Eccè dealbati sepulchri fæculentas gazas, saniem im-

imbutas, & mucida carie redundantes! Ecce Censoris eius splendidam æruginem, & palmaria stigmata, qui næuos alienos, vt plurimùm læsæ Imaginationis hamo, sollicitè piscabatùr, & mordaci cuspide cruentabat! Vt Errorem subdolè tegeret, in quem supèr Diphthongi pronunciatione vecors inciderat, quot deliramenta commentus est, quasi sordes ingeniosas, quarum fœditate Sapientum luminibus eriperetur! Veruntamèn minimè profuit homini malæ Artis industria. Debebant iuniorum commodo inquinamenta euulgari, quæ tecta, robustiùs nocuissent. Expressa ferro sanies, minùs amplificabitur. Edentata Momi rabies vulnerabit innocentèr. Sique fortè fortuna (quod nobis in animum irrepere neutiquam potest) rursùm denticulos germinaret, & Chirurgi manum salutarem abominatus, in nos inueheretur, nimirùm clarissimæ Veritatis Solem sagittis, ac Diris, Africæ barbaræ in morem, pertinax impeteret: Primùm meminerit Anonymus, nimio garritui indulgentes Auiculas, se se tandèm viscatas in virgas Venatoris intrudere, quarum à clade fuissent immunes, tacendo: Secundò sciat, nobis impræsentiarum satis, supèrque sufficere, tot inter ipsius errata, velut asperrima senticeta, stylum duxisse, an cruciasse? ac proindè luce palàm detecta, studiosæ Iuuentutis ad bonum, eius-

dem

dem debilitate, vtique vndosa, & in Lapsus pronæ; nil amplius in posterum tentaturos: non enim vir sapiens attendit ad Picæ cantiunculas, centies non sinè nausea repetitas, quæ ductu rationis orbatæ, licet contumeliosæ, nil lædunt. Sat hominem consideravimus, isthæc scribendo; quamuis id fecerimus, vt Veritatis dignitati consuleremus, & castitati Latinitatis; non verò, vt ipsipida blateronis commentaria censorio sale condiremus, & à putredine, stomacum doctis mouente, redderemus immunia. Interim maturè nostro gaudeant beneficio; vtq; meliorem in speciem denuò refingatur, hunc Indiculum, cuius breui in circulo vniuersas eius labes, & menda pudenda coarctauimus, sedulò contempletur, & diligentèr examinet: idque accidere videbimus Corrigiensi Philogrammatico, quod olim Smyrnæa specula consulenti, nimirum monstrosè diformem se se sentiet, & horridè stigmaticum, si priùs elegantem suæ Eruditionis, & Sapientiæ formam, instàr alteriùs Narcissi, stultissime deperibat. Et hæc dicta sint satis de litterarum potiùs corruptore, quàm de corruptela Diphthongi.

Vt autèm lutulento hoc ex fasce succum aliquem exprimamus, æquè nitidum, ac vtilem litterariæ Reip. nostram paucis opinionem eodem sempèr & vocis, & sensus tenore propugnatam exhibeamus: tùm iuxtà collocemus

ab Ano-

ab Anonymo Philo-grammatico prima vice, Latinè vulgatam: deinde ponè ſuccedat Opinio poſterior eiuſdem, qua primam abiurat, & expungit, noſtramque comprobat: denique hac in Quæſtione, penès recentiores obſcura, & Grammaticos apud antiquiores minùs dilucidè agitata, quid omninò dicendum, breuiſſimè definiamus.

OPINIO MARVERTIANA

A RR. PP. RICCIOLIO, ET GAMBERTO probata.

nèc vnquàm, aut vſpiàm ab Auctore, voce, vel ſcriptis variata;

Et ab eodem luci expoſita Theſibus in Italicis, Mutinæ cuſis.

Diphthongorum vocales (& hìc potiſſimùm loquimur de binis hiſce AV, & EV) ſimul iunctæ, Compoſitum vnum morale conficiunt, tali pacto ab enunciante animandum; vt ſonus vnicus audiatur: non quidèm ſimplex, at miſtus; nimirùm qui con-

conglutinationis, intèr vtranque vocalem, ſimùl ſociatam, ac ſuæ natiuæ facultatis, aliquantulùm fractæ, & obtuſæ, nun nihil deperdentem; ex duobus ſemiplenis, aut partialibus, in vnum completum, vel in vnam ſyllabam, coalitus. *Poßet autem hæc opinio, robuſtè fundata* (vt probat luculentèr Pars I. noſtræ Diatribæ) *æquiualentèr hoc modo reſolui, & exponi:* Diphthongales Vocales ità ſimùl arctantur, atque nodantur, vt vnum in corpus fœderatæ iaciat adhuc duos ſonos, tamèn incompletos, & non nihil imminutos, vnam ſyllabam conficientes, & ſolùm vi figuratà diſſociabiles. Idque verificatum olim apùd Græcos, & Latinos: & verificatur hodieque penès Etruſcos. *De hac æquiualentià conſulantur nihilominus inferius dicenda.*

SEN-

SENTENTIA PRIMA

Anonymi Philo-grammatici

Inclusa in Animaduersionibus Latinis, ab eodem Regiensi è Typographia vulgatis.

VOcales Diphthongorum AV, & EV, eo rictu, & ea labiorum conformatione sunt ab enunciante exprimendæ, & expromendæ, vt duas absolutas habeant voces, aut duos solidos iaciant sonos; tales nimirùm, quales iacerent, extrà Diphthongum constitutæ. Nàm redditæ ex non diphthongalibus diphthongales, nihil noui acquirunt, quià tantùm abusiuè, impropriè, ac metaphoricè simùl conglutinantur: ac proptereà vim suam pristinam retinent, quomodò retinent Vocales V, A, & E; prima quidèm penès Latinos in aduerbio *Vtinam*; postremæ verò penès

nès Etruſcos in dictionibus ingenio ſuo triſyllabis, ac ſolùm vi poeticà diſſyllabis *Aere*, *&* *Eolo*. Itaq; hinc omnino concludendum eſt, quòd vocales ſingulæ prædictarum diphthongorum AV, & EV ſingulas forment ſyllabas, ſicuti ſingulas ſyllabas cõficiunt hæ vocales A, E, & V in commemoratis ſuprà vocibus, ſiuè Tuſcis, ſiuè Latinis, *Aere*, *&* *Eolo*, & *Vtinam*. Id paſſim fatetur, & profitetur Anonymus noſter in Animaduerſionibus Latini, Regij primùm cuſis, eruditorumq; cenſuræ primà vice à Typographo, an ab Auctore? damnatis; vt dilucidè, ac fusè ſuperiùs demonſtratum eſt.

SENTENTIA POSTERIOR

Eiusdem Philo-grammatici,

Expressa in obseruationibus Italicis, Bononiæ demùm impressis, nostræ opinioni, mentiq; concordans.

DIphthongorum vocales eo pacto in quacunq; dictione ab enunciante iungendæ sunt, vt, binarij naturà conseruata, vnicam tamèn syllabam conflent. Ità in *Obseruat. Art. I. §. II. P. VI. Not. IV.* Vlteriùs cauêdum, quod eiusmodi binarij enunciatio non debeat esse soni simplicitèr completi & integri, sed aliquantulùm imminenti. Sic habetur in *Obseruat. Art. II. §. II. P. VI. Not. VIIII.* ità vt saltem ex parte & exprimatur, & supprimatur: idquè asserit in *Obseruat. Art. III. §. II. P. VII. Not. IV.* Ex hisce articulis, simùl accusis, infero:

Phi-

Philo-grammaticum menti nostræ cõcordare, & cohærere hac posteriori sua sententia in æquiualentem nostræ superius expromptæ, conclusionem resolubili: quà diximus: Diphthongorum vocales, duos assequi partiales sonos, incompletos, & aliquantulùm obtusos, siuè fractos, & mutilatos, in vnam tamen syllabam, sociali quodam fœdere coeuntes. Idq; significat, & propugnat ille, dicendo: Vocales Diphthongales; simul nexas, vi quadam singulari prædicas, in tali iunctura vnicum concinnare sonum, non quidem simplicem, & integrum, quemadmodum solent reddere seiunctæ, vel disociatæ; sed extenuatum, & aliquantisper eneruem: nempè ex duobus incompletis, & imminutis, ingeniosà quadam fracturà coalitum, vnicæq; syllabæ conficiendæ capacẽ.
 Quòd

Quòd vltrò nos admittimus, calculoq; nostro comprobamus; ne nostræ ipsi Palladi bellum turpiter, & infideliter indicere videamur.

QVID SVPER HAC QVÆSTIONE

Statuendum sit, breuiter indicatur.

QVamobrem maturè ponderata Scriptorum re in Grammatica maximi iuris, & nominis auctoritate; & antiquorũ Poetarum in carminum numeris exactè considerato rhythmo; necnon eius finis habita ratione, quem sibi probabilis coniecturæ ductu proponere potuit mens docta Legislatorum, qui priscis, & nouitijs ætatibus Linguarum statuta prima condiderũt, omninò stabiliendum arbitramur, & iudicamus: Vocales à pristinà, & na-

tiua

tiua facultate degenerare, quando ad conficiendam diphthongi miſtionem à nobis vſurpantur. Quoniam ex ſimplici ſonora entitate abſolutè, & clarè labiorum vulgari conatu enunciabili, & calamo ſcriptili, ſingulæ euadunt ens incompletum, partiale, & relatiuum cum ſocia litera diphthongali vnicum ſonum, & indiuiſum vnanimiter exequentes. Ità vt binæ illæ vocales, queis diphthongi mixtura conſtat, debeant ingenitos ſibi ſonos mutuò communicare, & ex duobus vnicum coagmentare. Qui quidem ſonus, ſolidè conſideratus, vegetior, & fortior dici deberet, quam ſint partiales ij, quos reddunt ſingulæ vocales, ſeorſim enunciatæ: licet, ſi ratio habeatur natiuæ vis eius ſonoræ, quà pollent ſingulæ eædem vocales, ſolutæ vinculo diphthongali,

appellandus sit absolutè fractior, & obtusior; quia in obeundà communitione illà mutuà, quam, diximus, esse, qui litteras, diphthongum conficientes, singularum proprius sonus, dum emergit, imminuitur non nihil, hebetatur, ac frangitur. Quare, cum societas ista vocalium diphthongaliũ aliquid præseferat noui, quod neutiquam verificabatur de vocalibus ijsdem singulis, extrà diphthongi mixtionem collocatis: nempè sonum aliquo modo tenuem, & debilitatum, seu potius crassum, & obtusum; necnon singularem numerum (vnico .n. vocabulo *Diphthongi* ambæ vocales, eam conficientes, intelliguntur) cum anteà loquendo de ijsdem vocalibus, diphthongalem mixturam nullatenus componentibus, vsurpari deberet numerus multitudinis, duarum vocalium

bina-

binario respondens, ſequitur: Quod etiam, religioſè loquendo, præter merum corticem vocum, aliquid rei innouetur: & ſicut anteà tali è binario vocalium, diuiſim acceptarum, duo ſoni promanare dicebantur; ſic ceſſante earum mutuo nexu, & extinctà notà illa pluralitatis, quà illarum binarium ſignificabatur, etiam ſonus earundem duplex ceſſare debeat, non nihil compeditus, ac impeditus, in vnium annulum coercitus, & in vnum ſpiritum quodamodò conglutinatus. Hac admiſſa veritate, & explicatione, grammaticæ rei primores, & Anteſignani, de latinà Linguà optimè meriti, ſuum finem aſſequentur, in creandis diphthongis naturam imitati; quæ pluribus ex elementis mixta conficit, ità ſingula ſimul attemperando, vt vires ſuas ſin-

gula ſimul iungant, amicè ſocietate compeſcant, vnicumq; corpus, ex multis conſarcinatum, ſapienter exædificentur. Et hæc ſatis, ſuperq; dicta ſint præſenti de quæſtione; quam ſoluit benè, qui duas vocales diphthongales in duas ſyllabas malè non ſoluit.

AMI-

AMICO LECTORI.

MARVERTIVS.

ET peruenimus aliquando curriculi ad metam, beneuole Lector, quod constantèr emensi fuimus, vt duarum litterarum par innocens ab iniquo schismate vindicaretur. Mutuæ societatis beneficium & Natura testatur, perosa diuisionem, at propterea strenuè abhorrens à Vacuitate. Fortaße seriùs, quàm futurum sperabas, optato in termino nos conquiescere indicabis: verum memineris, Impressorum torcularia nullo pacto assequi posse Solaris Typographiæ felicitatem, cuius illustri labore, primos ad luminum obtutus, Cælorum volumen vniuersum charactèribus aureis, sinè mendo vllo, splendidè insculpitur. Quattuor mensium, & vltrà, euolutus est tractus, ex quo præsentis Opusculi solida scriptio tenetur ab Impressore: verùm, & aliæ hunc reculæ, passim in lucem dandæ; & aliæ

aliæ nos curæ, ab ipsius editione diuulserunt. Tamèn quòd tempestiuè cadit, numquàm seró accidit. Ne autèm styli nostri aciem, vt nimis exactam, subtilemuè cauilleris: exacuimus hanc enim religiosiùs, vt Anonymó Philo-grammatico morem gereremus: qui suarum Italicarum Obseruationum in calce cuiuscunque notæ Indices ad accuratam crisim lacessens, hæc habet: Però muniti di sussistenti ragioni notatemi, ed impugnatemi pure allegramente; che certo non ritrouarete vno di quelli, c'habbiano fatta schiaua dell'ostinatione la Verità, o che alla sua superbia l'habbiano sacrificata. *Quamobrem, vt amici Capitis salutaria vota impleremus, parcere neque debuimus ferro, neque diligentiori lucernæ, ne saltem præcipuæ labes laterent, & ità sanitati, ab eodem expetitæ, feliciter reddereretur. Profectò alieno commodo insudauimus, nostri penitùs immemores: maluimus enim publicæ vtilitati, quàm nostræ quieti consulere. Vale.*

Pag. 18.

IN-

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam; secundus paragraphum indicat.

A

Allu-

Anti-

INDEX.

B

C

Clau-

Con-

E

F

G

 Galli

H

Hiero,

L

M

N

O

Occa-

Phy.

Q

R

S

Im-

T Tem-

T

V

Veri-

Voca-

F I N I S.

Typographi menda ſic emenda.

Error.			Correctio.
Pagina 22.	linea 16.	Conſonantts	Conſonantes.
P. 25.	l. 2.	Adde AE inter EV,	& OE.
P. 31.	l' vltima V.		Y.
P. 34.	l. 19.	non.	notat.
P. 63.	l. 13.	ſilo.	filo.
P. 68.	l. 19.	audire.	audiri.
P. 70.	l. 2.	Melibaei.	Melibœi.
P. 70.	l. 7.	Mœlibeus.	Melibœus.
P. 70.	l. 10.	Mœlibeus.	Melibœus.
P. 143.	l. 3.	qu.	qui.
P. 174.	l. 3.	V.	Vt.
P. 206.	l. 11.	reſertis.	refertis.
P. 250.	l. 7.	quattuor.	quatuor.
P. 255.	l. 16.	es.	ex.
P. 301.	l. 16.	ſupinum.	participium.
P. 314.	l. 3.	audimus.	audimur.
P. 314.	l. 13.	ij.	ei.
P. 326.	l. 24.	eruſtæ.	cruſtæ.
P. 335.	l. 4.	audiret.	audiretur.
P. 344.	l. 10.	ij.	ei.
P. 359.	l. 20	ha-ud.	haud.
P. 360.	l. 10.	ſinc.	ſint.
P. 364.	l. 19.	omnes.	omneis.
P. 372.	l. 5.	audire.	audiri.
P. 384.	l. 4.	monſtruſa.	monſtruoſa.

Si quid interim, Lector oculate, præter hos lapſus, à culpa immunes, occurret tibi, vel Aſiaticè fucatum, vel Laconicè nimis auſterum, vtere pro libito vel falce, vel ſpongia; vt eradas quidquid pigmenti putidioris hîc indicur; quidquid pungit, amputes. Ne reputes, vt captemus auram popularem, nos amare Camæleontis ingenium, quod abhorret à candore. Vale.

Ente - Biblioteca Nazionale Centrale di Roma Vittorio Emanuele II

Opera - 6.4.B.9

Laboratorio - Il Laboratorio s.r.l., Firenze

Anno restauro - 2004-2005

N° 114

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo numerazione delle carte, scucitura volume, spolveratura con pennello, recupero con impacco di Tylose MH300p delle controguardie, pulizia a secco delle carte, risarcimento strappi e lacune con carta giapponese Vangerow 20527, velo Vangerow 20561, collante Tylose MH300P al 4 %, imbrachettatura con carta giapponese Vangerow 20503, nuova cucitura su 2 nervi in canapa, recupero capitelli originali, indorsatura in carta giapponese e cotone, restauro e recupero coperta originale in pergamena semifloscia.

DATA COLLAUDO 14-05-05

COLLAUDATORE

Il Laboratorio s.r.l.